HRISTIANI MICHAELIS ADOLPHI,
PHIL. ET MED. DOCTORIS,
ACVLTATIS MED. ASSESSORIS, SOCIETATIS LEOPOLD. CAROL. NAT. CVRIOS. SODALIS,
B. M. V. COLLEGIATI ET MED. PRACTICI

TRIAS DISSERTATIONVM MEDICO-CHIRVRGICARVM DENVO RECVSARVM,

QVARVM

I. DE SPINA VENTOSA.

II. DE LIGATVRIS DOLORIFICIS.

III. DE MORBORVM PER MANVVM ATTRECTATVM CVRATIONE.

INSCRIBVNTVR.

LIPSIÆ,
SVMPTIBVS JOH. HENR. ZEDLERI.
M DCC XXX.

I.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA DE SPINA VENTOSA.

PRÆFAMEN.



Uod in ædificio fundamentum & fulcra, illud in corporis humani mirifice constructa fabrica ossa sunt: nam partes hæ solidæ & omnium durissimæ strictissima sua textura firmaque consistentia, non solum reliquis solidis fulcimenta præstant stabilimenta & robur, sed & a provida Natura eorum singula mirifico quodam articulationis vinculo ita sunt unita atque conjuncta, ut ad quosvis motus peragendos & exercendos sint aptissima. Per ea non modo stamus sed & ambulamus, apprehendimus reliquarumque facultatum actiones bene commodeque perficimus. Tanta est ossium necessitas, tantaque utilitas, ut nullum propemodum animalium genus iis possit carere; siquidem & insecta solidiorem substantiam aliquam vel ossibus saltem analogam in corpusculis suis habent contentam. Hinc eleganter Hippocrates Lib. de Oss. Nat. ait, ossa corpori firmitudinem & rectitudinem, formam speciemque præstant. Sicuti igitur ædificium, quod stabili integroque firmatur fundamento, sartum tectumque quam diutissime servatur, fulcimentis vero, parietibus trabibusque infirmis mancisque facile collabitur, aut ruinam proxime minatur: Ita simile quid in artificiosissima machina corporis nostri experimur, si ossa labe quadam, quarum longa a causis, tum externis, tum internis inductarum,

series

series est, contaminatur. Jam unam saltem eamque gravissimam, corruptionem summam inducentem, quæ spina ventosa appellatur, penitius exercitii causa considerabimus. Quod conamen Deus ter Optimus Maximus ex voto secundet, ac jubeat, ut in solatium ægrorum cedat labor, & pessimum rebelleque malum penitus exstirpetur.

§. I.

DE affectu, qui argumentum tractationis præsentis constituit, Hippocrates jam loquitur. vid. Lib. V. epid. 26. & lib. VII. 22. &c. Avicenna dein fusius primum de eo scripsit Lib. IV. vid fen. 4. T. 4. c. 9. Cujus post tempora vero non adeo multi sunt inventi Autores, qui de hoc ex professo scripserunt, præter illos, qui historias & observationes de hoc hinc inde sparsim libris suis insinuant. Nec adeo frequens in nostris terris existit, frequentius in Anglia & Belgio invenitur, quare quoque Dolæus in Encyclop. Med. lib. IV. p. 440. affectum rarum nominat, atque Wisemannus Celeberrimus ille Angliæ chirurgus P. IV. C. IV. fol. 262. fatetur, se per multos annos hunc non vidisse vid. p. 1292. v. Horne in Microtech. p. 132. Jo. Vigo p. 1292. Nec dubitanter affirmamus, Medicos pariter ac chirurgos lyncæos etiam in hoc adhuc cæcutire, dignusque qui ab aliis ad meliorem cognitionem perducatur. Quare & eo magis apud B. L. excusationem nos impetraturos confidimus, si non omnia amussitatata rectitudine dederimus in conspectum.

§. II.

Vocatur Spina ventosa, quam denominationem Itali primum ipsi imposuerunt, aut ventositas spinæ & flatus spinæus. Ventositas enim veteribus, præsertim Arabibus, ac oedema vel tumor fuit, a flatibus ortus; spinam vero vocant, quia vel ægri ingravescente morbo spina veluti pungise sentiunt vel os affectum spiculis terebratum & perpunctum apparet. Alii aliud nomen ipsi imposuerunt, ut Blasius, Severinus, Job a Meckern, de Marchettis, quibus vocatur pædarthrocace, cum affectus hic pueris sit frequentior. Joh. Langio vid. Epist.

Epist. Med, Lib. I. Epist. 9. teredo audit, aliis, ut Celso, Tulpio, Montano sub nomine cancri & gangrænæ ossis venit. Apud nos tumor & ulcus strumosum appellatur. Atque hoc ipsum malum est, quod sphacelismus Hippocrati dicitur, ut animum bene præter modo adducta loca ad aphorismum Sect. VII. 77. inprimis advertentes, profiteri habent necesse.

§. III.

Vel ipsum nomen pædarthrocace indicat, affectum hunc infantibus maxime familiarem esse. Adultiores enim eodem rarius affliguntur, nisi is jam dum in ætate puerili incunabula posuerit, crescentibusque annis recurrat VIto VIImo & VIIIvo ut plurimum a nativitate mense, usque ad X. vel XII. annum ut plurimum affligit. Marchettis ad XXV. usque annum utrumque sexum vidit huic obnoxium, uti etiam videre est apud Scultetum in Arm. Chir. P. II. obs. 90.

§. IV.

Ea autem facie apparet præsens affectus, hisque indiciis se prodit: Aegri debiliores, somnolenti, languidi, pallentes, exercitiorum & laborum impatientes deprehenduntur. Non nutritur non solum modo corpus, sed illud, quod appositum est nutrimentum resolvitur, abraditur atque consumitur. De dolore conqueruntur nunc obtuso & vix perceptibili vid. Scultetus in Arm. Chir. P. II. obs. 90. nunc acuto pungente, lancinante, terebrante, vid. Avicenna Sens. IV. T. III. Cap. 91. P. de Marchettis de S. V. §. 2. Differt hic dolor, prout vel in initio vel in progressu morbus est constitutus tractu & temporis ingravescit. Quando enim pars interior concava & medullosa ossis afficitur, quæ specifica hujus morbi conditio est, obtusus dolor nascitur, quoniam saltem dubio sine a membranis vasorum, hinc inde per ossium substantiam distributorum, juxta fibrillas periostei hinc inde sparsa & filamentis nerveis parcius expansis procedit, nam sensationem tantam propriam ossium substantiæ ob durissimam compagem & parciorem spirituum influxum

vix adſcribere poſſumus. Avenzoaris enim argumenta & N. Maſſæ auctoritas haud ſufficiunt, ut illam nos quoque adeo facile credamus. Si vero tota tandem ſubſtantia oſſis corroſa fuit, & perioſtium poſtea hoc vitium adoritur, fit acutus imo acutisſimus, lancinans & pungitivus dolor, & alia ſymptomata, præſertim tumor, calor cum ulceribus fiſtuloſis ſuccedunt. Notum enim ex anatomicis eſt & quivis in ſe ipſo experitur facile, ſi pedem offendit, perioſteum ſenſu acutisſimo pollere, quod ex fibris a dura matre & muſculorum tendinibus juxta Haverum in Oſteol. p. 27. exoritur, & nervis copioſisſimis inſtructum fibras per ipſam osſium ſubſtantiam ab una parte ad alteram ductas penetrantibus. Hinc ægri referunt, dolorem quaſi in osſibus ipſis conſiſtere, qui alias oſtocopus nominatus eſt. vid. Galenus L. II. de Loc. Affect. & Lib. III. de Salub ſimilisque illi eſt, qui in lue venerea excruciat. Dolor maxime augetur, a motu membri affecti, atque ingraveſcit nocte, cum nocturnum frigus & humiditas osſibus & nervis maxime moleſtum ſit, quoniam tonum laxat, poros obſtruit & inſenſibilem tranſpirationem impedit, uti fere id in omnibus affectibus, a lympha oriundis, accidit, quod clarisſime explicat Piſo de morbis a ſeroſa colluvie oriundis. Solis enim abſentia & caloris defectus ad alteranda corpora occaſionem ſubminiſtrat, cum ſol, ut cum Kirchero loquar Itin. Cœleſt. Ecſtat. dial. 2. Cap. I. circum jectos globos cœleſtes non tantum illuminet, ſed etiam in tellurem usque radios protendat, quibus humidas atque frigus atmoſphæræ interdiu temperatur, nocte vero iis ſuccesſive ſecedentibus ad genium ſenſim redit & nativa ſuæ umbræ humiditate animalium corpora mire afficere ſoleat. Addimus, partim ab aëre nocturno fibras certo quodam rigore & ſpaſmodice affectas, partim & a lecti calore exagitatam magis cauſam, graviorem dolorem inferri. Adſtipulatur Sydenham Prax. M. p. 347. quando in morbis a lympha vitiata oriundis a lecto abſtinere jubet, quia calor, qui a jugi decubitu naſcitur, morbum promovet

atque

atque intendit. Minime igitur ſecundum Veteres cauſa exiſtit, uti exiſtimat Langius Epiſt. Lib. I. p. m. 187. quod pituita atra bili commixta (ut pote quæ pro præcipuo apoſtematum atque ſimul hujus morbi fomite tunc temporis habebatur) ad veſperam ſole occiduo intra & circa lacertos & oſſa magis moveatur.

§. V.

Tractu temporis (ut recenſenda quæ habemus proſequamur) atque lente hoc malum & ſubdole quaſi oſſium ſubſtantiam exedit & conſumit, partibus, oſſa conſtituentibus, phlegmaticis, ſalinis, volatilibus, ſulphureis, gelatinoſis, fixioribus reſolutis & tunc epiphyſes oſſis auctæ cum tumore œdematoſo ac globoſo aut lato pro conditione oſſis & frequentius molli laxo ac ſpongioſo, rarius duro atque ſcirrhoſo variamque nunc ſpeciem referente, carne flaccida & molleſcente quæ ſuperjacet & pinguefacta velut & livida figuraque non raro articuli vitiata incurvatione, retractione, imo exarticulatione quandoque ſe produnt. Ægri ægre aut vix membrum affectum poſſunt movere & ponderoſum magis reddi illud ipſis videtur. Tumor etiam ſine inflammatione ſineque antecedente ordinario extrinſeco vitio oritur, quando materia prius in oſſe latitat, ubi ob ſtrictiorem ſubſtantiam oſſis non ſe rite explicare poteſt, donec ſeſe latius ſucceſſive expandat corroſis fibris & lamellis, nec non ipſis vaſculis ſangvineis, unde ob ſtagnationem & extravaſationem ſeri viſcidi, acris oſſa diducuntur poris ampliatis & repletis, & muſculis oſſibus ſuperjacentibus ſimul tandem affectis humoribusque ibi effuſis atque collectis. His eroſis demum partibus in inflammationem atque exulcerationem tranſit. Si tumor aperitur ichor & ſanguis effluit, fœtens ut plurimum copioſus & tenuis, lividus, ſpiſſus ſubinde duriorque evadit ab aëris liberioris acceſſu materiam in poris ſtagnantem compingente & incraſſante quando os in propatulo eſt fuſcum vel nigrum & oleaginoſum quaſi apparet & inæquale, cario-

ſum, eroſum & quandoque in pulverem quaſi redactum. Sunt qui aſſerunt, teredinem copioſa verminoſa progenie ſcatere. Rarum eſt flatus exſpitaſſe, uti refert J. H. Lavater & N. Fontanus. Ab Arabibus idem obſervatum fuiſſe ex Rhaſe patet. Nec minus rara hæc obſervatio eſt, quam Amſtelodami quondam in noſocomio collegit Præſes, de juvencula ſpina ventoſa per aliquod tempus laborante, quæ pedem ſiniſtram ob tibiam fibulamque carie affectam atque penitus corruptam in lecto tunc inde paulo validius ſaltem voluta, confregit, quod facile accidere poteſt, quoniam oſſa ſic affecta pluribus in locis & tali labe interna exeſa, data levi occaſione & niſu a ſe invicem ſecedunt & firmitudinem amittuut ut ejusmodi exempla & alibi paſſim occurrunt. In hac hoc quoque notabile obſervare licuit, quod cum pure calculoſæ concretiones repertæ fuerint. Febris ut plurimum obſervatur nunc remiſſior nunc intenſior & tandem lenta jungitur. Quemadmodum enim hæc compluribus affectis, ſic & huic ſe immiſcet; ingraveſcente enim morbo particulæ quædam corruptæ per venas redeunt, hinc ad maſſam ſanguinis ſive totam illam mixturam heterogeneam ex chylo, lympha & cruore delatæ & ad nervoſas partes depoſitæ irritando juxta doloris vehementiam ſpaſmos inferunt majores & circulum ſanguinis turbant atque intendunt, unde calor p. n. naſcitur &c. Miteſcit febris quando ad exulcerationem malum pervenit & poris cutis apertis, ita enim exhalant promte particulæ irregulares ex ſanguine &c. Id ulcerum genus intutum ac contumax eſt; ſiquidem licet ſanatum ſit ac obducetur cicatrix, ex facili tamen iterum recrudeſcere ſolet teſtantibus Galeno vid. Comment. Aph. Hipp. IV. 15. & P. Foreſto Obſ. 29. 22. Si multum præſertim ichoris atque per longius tempus effluit, atrophia totius membri ſæpe ſolet accedere. Si humor corruptus diutius perſiſtit vicinas etiam alias partes aggreditur, & vagabundo ſæpius motu pererrat. In fiſtulas quoque quandoque degenerat dum

mate-

materia putrida acris ob ſtagnationem facta, exſudans aggreditur vicinas muſculoſas membranoſas partes, in quibus variæ calloſitates & canales producuntur, unde maligna ſanioſa fiſtuloſa & ſinuoſa atque hyperſarctica & carioſa ulcera omnem fere curationem eludentia progignuntur &c. Præter hæc varia ſubinde plura eaque mira raraque ſymptomata obſervantur. Quoniam ab interioribus oſſium originem ducit in principio difficile cognoſcitur, donec conſumptis illorum lamellis interioribus materia fœda ad ambitum oſſis proſerpat ac ſymptomata graviora Medicum de hoc affectu certiorem reddant. In cadaveribus hoc morbo extinctorum hepar præſertim valde magnum, ventriculus cum inteſtinis diſtenta, meſenterium glandulis juſto majoribus aliquando etiam ſtrumis obſeſſum inventa fuere.

§. VI.

Eſt vero hic affectus vel primarius, i. e. Qui a nullo alio morbo præcedente provenit, ſed potius alios pediſſequos habet & in interioribus oſſium partibus fundatur. Vel ſecundarius, qui ex aliis v. gr. ſtrumis, gangliis, meliceridibus, ſteatomatibus malignis & ſimilibus atque exulcerationibus inſurgit, & ex exterioribus externa nimirum appoſitione accretioneque atque ſimul dein eroſione ad interiora oſſium procedit, quam diſtinctionem re ipſa ſic exigente formare licet. Ab aliis morbis differt: Nimirum ratione cauſæ, cum carie ſimplici cenvenit, ſed accidentia adducta inter quæ primarium eſt, quod cauſam ſemper internam in oſſium ſubſtantiam hærentem obtineat, & adducenda, cauſæ externæ &c. & major humorum malignitas majorque oſſis corruptio, faciunt diſcrimen. Diſcernitur a rachitide, quod in hoc oſſa mirum in modum ſaltem incurventur. Differt etiam ab arthritide non ſecundum Severinum, quod dolor in hac ſit in carne, in ſpina V. vero in oſſe cum adeo notum ſit arthritides & articulos & juncturas eorum afficere. Sed rectius dicitur, quod ratione

tione exulcerationis & corruptionis ab illis differat, quæ etiam eam a steatomatibus, meliceridibus & atheromatibus, gangliis & strumis distinguunt.

§. VII.

Cum ossa subjectum morbi pronuncianda sint, quædam adhuc de illis ad meliorem cognitionem præmittantur. Scil. omnes solidæ partes ex fibris contextæ sunt & non differunt, nisi diversa structura, textura & combinatione, ea quidem ratione, ut quemadmodum filamenta ex serico, lana, lino, cannabi pro diversa sua textura diversos pannos formant, ita quoque hæ fibræ partium solidarum corporis humani pro robore diverso, flexibilitate aut rigiditate diversa, strictiori aut laxiori connexione, varia implicatione, contorsione diversas partes efformant: Sic fibræ in musculis laxiores sunt, ut sanguinem ad interstitia admittant, in ligamentis strictior textura jam observatur, unde etiam ob illam nullum sanguinem admittunt, quare & albicant. In ossibus vero demum fibræ, porosæ tamen tubulosæque omnium strictissime inter se e centro ad peripheriam tendentes striatim sibi incumbentes contextæ sunt. Hæ partes etiam quandoque inter se immutantur, siquidem constat, musculos in tendines, tendines in ossa facessere, uti a Bartholino erudimur de Diaph. p. 69. Et ratione convincimur, quod tendinum fibræ per ossa continuentur & decussentur & ossium conformatio a tendinum insertorum conformatione pendeat, ratione magnitudinis, figuræ; ossa in embryone mollia admodum & flexibilia ad instar tendinum sunt, & in infantibus cartilaginea. Legi hinc meretur historia apud Wepfferum de Cicuta aquat. p. 88. Qua nervum anseris sub inferiore orbitæ oculi parte, initio mollem, successu vero temporis osseum notavit. Non penitus vero ossa exsanguia sunt, licet non exacte rubeant, quia ex sanguine nutrimentum accipiunt atque accrescunt; Videmus enim, quod in junioribus quoq; ossa fracta rubeant, & in consolidatione quasi sanguinem stillent. Glissonius insu-

insuper illud affirmat de Rachit. p. 130. In junioribus animalibus spongiosam ossium substantiam ipsamque medullam sanguine suffusam cernimus & maximam partem cavitates illorum non tam medulla quam sanguine refertam. Novimus quoque foramina ossium, præsertim circa illorum capita, pro transmittendis vasis in tubulis illorum conspici ac arterias has & venas & nervos mediante periostio ossibus inseri, teste supra laudato Glissonio. Porro scire licet, fibras eorum, quæ in examine instituto principium terreo salinum concedunt, numero & ordine convenienti sitas atque sic inter se unitas formare plurimas lamellas subtilissimas sibi invicem subjacentes. Insuper corpus quoddam reticulatum a fibris laminarum interiorum productum, ut & cavernulæ & cellulæ mirifice constructæ, eæque intermediæ inter lamellas osseas sibi mutuo contiguæ membrana tenerrima investitæ, per quam tenerrimi arteriosi, venosi, lymphatici & oleosi canaliculi excurrunt, in quorum medio exiguo glandulosa structura cum folliculis adiposis oleososque tubulos ex se emittentibus reperiuntur, inprimis circa ossium capita videntur, ubi una quasi alteram excipit & per longitudinem ossis excurrunt, quod in junioribus subjectis osse transversim secto videri potest clarissime. Patent & poruli duplicis generis longitudinales atque transversales ab Havero inventi atque descripti. In medio vero ossium sat ampla se offert capacitas ad medullam ossium recipiendam formata. Teguntur ossa membrana communi, admodum sensili, periostio, quæ adeo firmiter adhæret, ut quibusdam in locis nequaquam divelli, nisi dilacerando possit.

§. VIII.

Ab arteriolis (licet etiam iis ossa Galenus de Hipp. & Plat. Decret. 9. 8. & cum eo Adr. Spigelius carere dixerit) nutrimentum ossa accipiunt, allatumque rite non solum & continuo circulatur, sed & quod necessarium intra porulos eorundem digeritur & assimulatur, donec ad justas di-

mensiones non solum extendantur, sed etiam absumtis rursus & dissipatis partibus humidioribus, salinis vero & balsamicis oleosis atque terrestribus retentis indurentur & consolidentur, vid. Haverus Osteolog. nova c. I p. 89. Venulas elegantissime Lœvenhokius in Transact. Phil. n. 186. per os tibiæ bovinum dispersas eas demonstrat. Conf. quoque Glissonius. Verum etiam non desunt, qui negant ossa ex sanguine nutriri, inter quos Charleton, Entius, Cole, Glissonius eminent, putantes, partes corporis nutrimentum capere a nervis, & argumenta sua depromunt ab atrophia partium paralysi affectarum; sed facile dubium solvitur, quod non solum spirituum influxus, ut in paralysi, sed & succus nutricius denegatus in lienteria & cœliaca passione in causa sit. Imo & partes recipientes, si strictiores natura sunt, vel si comprimuntur, ut v. gr. in virginibus a thoracibus illis ex osse ceti formatis ad nitorem & formam conciliandam, nutritionem & augmentum impediunt. Aliud argumentum desumunt a glutine ex ossibus fractis stillante, quod secundum illorum sententiam supponit proventum non aliunde quam ex nervis; sed quid obstat? quin per arterias ipsum sit apportatum. Cæterum pars sanguinis fibrosa, de qua legendus illustris Boyle P. III. Hist. Sangu. Hum. in ipsa ossium stamina maxime transit; pars vero oleosa, ab illa separata, gluten illud quod in interstitiis fibrarum & staminum ossium existit, illaque conjungit, nec non medullarem substantiam constituit. Hoc maxime gaudent ossa infantum; siquidem fibræ illæ adhuc cartilaginosæ existunt, ut plus admittere valeant, quia ossa tenera majori irrigatione indigent, usque ad debitam magnitudinem consistentiamque pervenerint. Alii ossa ab ipsa medulla nutriri contendunt, dictum Hippocratis quod habetur in Lib. de Aliment. medullam nempe esse ossis alimentum aut non recte intelligentes aut male applicantes. Hinc mihi non displicet, Galeni commentatio Lib. 3. de Facult. Nat. Qualem sanguinem esse cernimus, talem ossibus medullam

dullam, quod etiam Spigelius & Veslingius Ariſtotelem ſecuti Lib. de Part. Animal. refutant & ſanguini hoc negotium committunt & medullam a ſanguine ſecretam autumant cum quibus Gliſſonius quoque facit, perſuaſus plura dari oſſa medulla carentia v. gr. dentes, vomer, oſſa lachrymalia plana &c. Accedit quod in fœtus oſſibus nulla adhuc medulla adſit, quæ tamen notabilem in molem ſuccreſcunt. Quibus utraque ſententia arridet duplicem inde oſſium nutritionem, unam quæ a ſanguine, alteram quæ a medulla fit, cum Riolano ſtatuunt vid. Enchirid. Anat. Cap. 6. Aliud Mayow venditat, oſſa ſolo ſanguine nutriri ſine acceſſione ſpirituum & nervorum, interim tamen concedit in nutritione muſculorum nervos requiri, quia credidit, oſſa non ſentire, ideo etiam nullum commercium cum nervis habere. Verum nulla apparet ratio, cur non ſpiritus in hoc negotio admittendi ſint, & cum motu ſuo ac virtute elaſtica appoſitionem nutrimenti egregie ſecundent præſertim quia plane conſtat, propter fluidi hujus nervoſi defectum, aut depravationem, nutritionem fruſtrari, uti in paralyſi, vel ſi nervus parti cuivis inſerviens conſtringatur aut præcidatur, quod ſenſus & motus partis & nutritio ceſſet. Idem evenit, quando arteria arcte ligatur, ita ut circulatio ſanguinis impediatur. vid. Lowerus de Corde Cap. 2. p. 110. ſeq. Hæc de ſubjecto principali, ſive in quo affectus primarius reſidet, dixiſſe ſufficiant; Qui vero ſubjectum minus principale, ſive quousque ſe extendat, muſculos oſſa tegentes nominare vellet, non refragabimur.

§. IX.

Dum oſſa ſubjectum Spinæ Ventoſæ allegavimus ſimul innuere voluimus, quod ſingula propemodum ſingulæque eorum partes huic obnoxiæ ſint, quod ut ſtatuamus, multis obſervationibus & teſtimoniis Autorum adducimur, licet hoc vel illud præ altero pro ſoliditate, duritie, cavitate, poroſitate &c. quas obtinent diverſa magis ad mor-

bum recipiendum ſit aptum. Sic v. gr. de oſſe frontis ſpina ventoſa affecto Ephemer. N. C. Dec. II. An. 3. p. 266. animadvertente Illuſtr. & Excell. Schrockio conſtat. De ſutura coronali ad concurſum lamdoideæ, Ronhuyſen Obſerv. P. I. p. 6. de orbita oculi Eph. IV. C. D. II. an. 6. p. 96. de vertebris & coſtis G. Fabritius, Hildanus Obſ. Chir. 141. & N. Tulpius III. 28. Paræus Lib. 19. C. I. de oſſibus ſterni, de oſſe humeri Ephemer. N. C. Dec. II. an. 4. p. 157. & Dec. II. an. 3. p 265. De olecramo J. M. Hoffm. in Diſp. de Carie Oſſ. de manu J. Scultetus Arm. Chir. Obſ. 91. De medio digito v. Meckern Obſ. 65. idem teſtantur. In oſſibus carpi tarſique præcipue ſpinam Ventoſam occurrere Rolfincius dixit Lib. 2. Diſſ. Annot. c. 47. qui & eandem in ſterno, oſſibus humeri, cubiti prope epiphyſes, circa dorſi ſpinam æque obſervavit. De oſſibus metacarpi Th. Bonettus in Sepulch. IV. C. 25. p. 1543. & M. A. Severinus V. de Abſceſſ. Recond. Nat. De digiti medii internodio item de articulationibus carpi, genuum, malleolorum digitorum, pedis Eph. N. C. D. I. an. 7. Obſ. 112. De oſſe coxendicis. Benivenius de Abd. R. C. Cap. 79. De patella N. Fontanus p. 147. De tibia P. Neucrantzius de Purpura p. 532. referunt, ut aliorum obſervationes de aliis taceamus.

§. X.

Geneſin hujus mali fieri per congeſtionem ſic loquente Severino l. c. comperimur, id eſt ſecretionis negotio deficiente nutritionisque opere depravato, colligi & ſtagnare atque accreſcere humorem corrumpentem paulatim in oſſe: Si nempe ſanguis a craſi legitima degeneraverit, in cujus maſſa variæ atque diverſæ ratione, figuræ, molis, conglomerationis aliorumque particulæ fluctuant atque ut Hippocrates expreſſit non modo fluidum & amarum & dulce & acidum & ſalſum & acerbum ſed & ſexcenta ipſi inſunt alia omnigenas facultates habentia, atque ſpeciatim nominanda lympha ſive ſerum, utpote quæ proprie ejusmodi aſſumere ſolet, & quæ veniculum omnium aliarum

parti-

particularum adeoque & præ aliis salium facile se præbet, ac per quam ossa nutrimentum accipiunt, si nempe particulis causticis, nec non viscidioribus inquinata fuerit, non potest non, quin etiam nutrimentum tale reddatur atque in pus demum & saniem corrosivam transmutetur. Hoc vitiosum & corruptum per arterias ad ossa illorumque medullam perveniens ibique stagnans indies ulterius in majorem corruptionem ruens se staminibus apponit, tubulos illorum tenerrimos viscidítate obstruit, & acrimonia sua magna potentia agendi instructa spiculis instar gladiolorum armata corrodit, dilacerat atque disrumpit penitus, unde substantia illorum laxatur, atque exesa ampliorem sibi usque & usque foveam excavat, in quem succi etiam mites & laudabiles a tergo continuo influentes delapsi ibidemque circulationem debitam continuare non valentes adeoque subsistentes, charactereque tali pessimo & ulceroso imbuuntur atque sic acrimonia dicta indies incrementum augmentumq; capit sordesq; ulcerosæ cumulantur, hac laxata vero substantia alia cartilaginea confusa & depravata appositione poris intertexitur & succrescit in molem magis magisque callosam, ut caro luxurians in carnosis partibus in polypis, molis vel etiam in clavis, tophis &c. Per hos poros cartilaginosæ scil. substantiæ ut flexioris ac humidioris, dein serum acre transit, exulcerationemque inducit & corruptionem tardam etiam in partibus exterioribus, ut clarissime hunc affectum ipse Hippocrat. describit de Morb. VII. & XXIV. quod nimirum in teredine dolor ex osse corripiat & in secunda ossis lamina pituita superveniens resiccata sit. Acredo nimirum major minorve vel statim in principio adest, ex acrimonia humorum circulantium, scorbuticorum &c. Namque insignem quandoque acrimoniam sanguini inesse minime dubitandum est simulque expendendum omnes particulas Massam humorum constituentes adeoque & acres intime mixtas esse ac inter se temperatas circulatione jugi & pernici velocitate revolutas, ut neque conspicuæ sint ne-

que hominem lædant, nisi cum quid horum fuerit secretum. Sæpe humor tam acris in peste, febribus, variolis, dysenteria & similibus morbis malignis decumbit in partes debiliores, laxiores, ut subito paucisque saltem horis ipsum sphacelum inducat, cujusmodi exempla funesta de variolis speciatim annotavit Morton in Hist. Variolar. Cap. II. seq. Notatu digna in hanc rem porro est observatio, cujus mentionem faciunt Ephem. Germ. D. II. An. M. C. obs. 107. ubi ex vena secta sanguinis educti una guttula saltem denudatas partes tam insigni rosione ac acutissimo dolore ita extemplo affecit, ut vulneratus ad ejulatum fuerit coactus, atque non tantum cuticulam exusserit, excitata vesicula, sed & phlebotomi cuspidem sub atro colore tinxerit & adeo friabilem reddiderit, ut levi saltem attritu in particulas exiguas secederet. Simile Bonettus in Med. Sept. P. II. Lib. II. sect. 2. obs. 2. habet. De lacte acerrimo ex puerperæ mammis stillante erosionem & ulcera inducente vide Ephem. Dec. II. & VIII. obs. 72. Urinam scorbuticorum vidit Sennertus in Tract. de Cons. & Diss. Chym. Lib. I. cap. 16. p. 16. linteamina corrodentem; idem Doringius in Tract. de Scorb. p. 109. & Salmuth. Cent. 2. obs. 4. De urina etiam acerrima & corrodente scribit. Vel successu (ut ad propositum redeamus) demum temporis stagnatione talis evadit, magis magisque acrior redditur, uti pro comperto habemus, omnes humores stagnatione acriores fieri, vel ex stagnatione tali putrescere, unde pari modo salia evolvuntur, & sui juris fiunt, sicuti videmus effectum putredinis esse liberationem salium a reliquis concretorum particulis. Comprobat id ipsum, quando ex longiori mora puris ulceri inhærentis ossibusque incumbentis ab illo corroduntur. Igitur acrimonia ossium substantiam corrodere atque perforare assolet, eo modo, uti a spiritibus acidis atque corrosivis corrodi & absumi ea videmus, quod etiam haud raro scorbuto, lepra, lue venerea affectis accidit. Hoc clarissime testatur sceleton fœminæ cujusdam lue venerea affectæ, cujus ossa ita corrosa, ut cribrum,

brum quaſi referant. vid. Bonettus in ſepulch. Lib. II. S. 2. Obſ. 160. Inſuper id ipſum quoque videmus in fonticulis, quod interdum tam acris materia ſeroſa effluat, ut cutem imo oſſa erodat, quam non inepte v. Horne in Microt. p. 181. ex vaſis lymphaticis provenire aſſerit, cum ex Anatomicis conſtat, plurima vaſa lymphatica præſertim circa osſium articulos inveniri. Ex dictis facile ſibi quis concipere poteſt, ſpinam ventoſam in medulla vel ipſa osſium ſubſtantia interiori generari poſſe, eo ſcil. modo, quo ligna putrida perforari ſolent.

§. XI.

Acrimoniam illam a ſalibus proficiſci, nemo facile in dubium vocabit, cum interdum acidum & ſalſum volatile & fixum variis in morbis manifeſte peccet, quamvis difficile admodum ſit, illam ſemper ad certam claſſem reſtringere: Symptomata enim hinc inde occurrentia varia & diſcrepantia ſunt, ut effectus illorum plane ſingulares ex ſalium horum ſpecie vix deducendi veniant. Exempli loco ſunto lues venerea, arthritis, variolæ, morbilli, cancer, ſcorbutus &c. in quibus ex diſtinctis ſymptomatibus, quæ producunt peculiarem & diſcrepantem acrimoniam eſſe intelligimus; imo præter illa ſalia ſpecificum aut ſingulare aliud quoddam adhuc contineri haud difficile concludimus; (quod etiam in præſenti affectu autumamus ulterius & penitius inveſtigandum & perſpiciendum ut exploratius cognoſcatur) quamvis non a priori ſemper quid & quale illud ſit determinari exacte posſit; multo minus Haveri in Oſteol. Nova p. 266. & Jackſoni in Ench. Med. p. 118. aſſertum de alkalica nobis probatur, quæ multis adhuc dubiis laborat. Langius Op. Med. P. II. p. 203. acrimoniam in cancro peccantem ſalſam eſſe judicat B. Ettmull. pro acido volatili militat. vid. Oper. Med. P. II. p. 1239. quia in hujus claſſe omnium acerrima & cauſtica ſalia continentur. Sic & ſæpisſime præſertim ſi a putredine provenit, ad ſalino ſulphuream illam accedere haud immerito opinamur, quæ ex ipſa corruptione putredinoſa

nosa succorum stagnantium progignitur; est enim hæc indoles omnis putredinis, ut motu intestino dissolvendo nexum partium mixti salino-sulphureas partes ipso odore etiam teste ab unione separet atque extra vertat. Multos quidem obstrepentes audimus persuasos, & hac in sententia Serapionem Arabem, vid. Breviar. Cap. XX. sequentes ossa inflammationibus, apostematibus exulcerationi putredini obnoxia non esse, propter substantiam solidiorem; sed ratio, quod nempe ossa æque ac molles corporis partes nutriantur & extendantur secundum omnes extensionis species, atque experientia contrarium ostendunt luculentissime, ut modo testimonia Autorum probatissimorum longius præter necessitatem non afferamus, Avicennæ Lib. III. Fen. VII. Cap. I. Galeni vid. Lib. VI. de Usu Part. Lib. VI. Method. Med. Cap. V. Comment. in aphorism. Sect. VII. 54. Mar. Aurel. Severini vid. de Recondit. Absceff. Nat. Lib. de pædarthroc. Cap. III. Joh. Langii Epist. med. Lib. I. ep. 42. Joh. Philip. Ingrassias Tr. de Tumoribus Paræi Lib. XVIII. Cap. XXVI. & Lib. XI. cap. XII. Gvil. Fabricii Hildani Cap. I. Tract. de Gangr. & Sphacelo Cap. IV. aliorumque plurium. Et quis credat etiam mineralia putredinem admittere, cujus rei in specie de antimonio testis oculatus est modo laudatus B. Langius, uti refert Oper. Med. T. I. p. 552. Ubi & de ossibus illud asserit. Sed unde salia præter putredinem in corpore adveniunt? Plurimæ dantur causæ, internæ pariter ac externæ. Circa externas inprimis considerantur alimenta & medicamenta, quæ multis salibus sunt referta, imo aër quidam multum salis secum advehit, unde in corpore sensim sensimque salia cumulantur pro dispositione ad receptivitatem majori aut minori. Internæ variæ & discrepantes sunt, quæ tamen utplurimum a motu aut remissiori aut intensiori dependent. Sic ab impedito & denegato ex quavis causa ille etiam accidat, vel plenitudine vel exinanitione & defectu tam spirituum tam sanguinis reliquorumque humorum, generatio salium procedit, & plus justo cumulantur,

atque

atque obstructionibus exinde factis per colatoria debita salia excerni non possunt, sed retinentur. Exinde patet, scorbutum, malum hypochondriacum, scabiem &c. vitam sedentariam agentibus præ aliis familiarem esse. Exinanitioni rursus adscribitur, si lympha diluens subtilis secedit, unde salium concretiones relinquit. Et motus justo celerior p. n. salia facilius & citius explicando, exagitando calore p. n. aucto exinde procedente producit, uti in febribus ardentibus potissimum accidere solet &c.

§. XII.

Per hæc adducta modo colligitur causam proximam esse succi, quo ossa nutriri solent, corruptionem putredinosam atque acrimoniam summam causticam malignam soliditatem ossium dissolventem nutritionemque depravantem. Etenim ex chymia & mechanica compertum est, acida, præsertim in durissimis corporibus solvendis, magnam vim possidere. Nihil igitur attinet confugere cum Sculteto vid. Arm. Chir. pag. 126. ad occultas & infensas qualitates, vel cum Pandolphino, de Marchettis ad pituitam crassam, corruptam, cum inprimis falso præsupponatur pituitam nutrimentum ossium esse. Pari modo M. A. Severino minime pollicem premere possumus, statuenti, inflammationem ossis causam semper proximam esse, licet ea sæpe adsit. Edocent hoc Hippocrates Lib. II. Epidem. S. I. 45. 52. Paræus Lib. II. Cap. 23. A. Benedictus in Observ. Benin. annex. p. 270. Mercklin. p. 117. Neque flatus semper & unice ex mente Arabum sunt adducendi. Ex Physiologicis namque constat aëri nimirum elastico atmospherico ad sanguinem transitum non concedi. Potius effectum morbosum ex humore forte acri resolutum flatum, quam causam, flatulentiam istam existere facile largiamur. Quidam vermes causam proximam hujus affectus agnoscunt. Quæ sententia non penitus est rejicienda, quia in omnibus fere partibus etiam interioribus & in permultis morbis (secundum alios in omnibus) inventi sunt, de quibus variæ & copiosæ satis ob-

 serva-

ſervationes proſtant. v. gr. In ſanguine Borellus Hiſt. & Caſolus in renibus, naribus, auribus Kerckringius in folliculo fellis Hildanus in arteria meſenterica, Ruyſchius referunt; ſic & præter obſervationem ſuperius allatam de noſtro affectu in ſcabie & variolis vermes deprehenſos eſſe; autor eſt Borellus Hiſt. & Obſerv. Cent. II. obſ. 72. De ulceribus vulneribus, Helmontius aliique de aliis idem teſtantur.

§. XIII.

Cauſarum remotarum mentio injicienda eſt, externarum ſcilicet & internarum, ex collatione rerum naturalium, non-naturalium & præter-naturalium, quæ cauſæ morbificæ facilem concedunt aditum. Primum hic ſe ſiſtit nativa conſtitutio, tenera, debilis, ætas infantilis, inprimis quæ variolas, morbillos, impetiginem capitis, achoras &c. nondum paſſa, & ſexus fœmineus, qui habet ſtamina laxiora, teneriora, quæ facilius corrodi poſſunt, atque ex temperamentis cholericum & phlegmaticum. Diſpoſitio dein hæreditaria nominanda, quæ in intimis hæret medullis & vel hoc nomine non facile poteſt exſtirpari, ſi parentes ejusmodi miaſma cum ſpermate charectere tali jam commaculato in fœtum transfundunt, aut ſi infantes in utero, maxime ſucco nutritio, vitiato, acri viſcido, ſcorbutico ex lue venerea vel ſimili morbo contaminato nutriuntur, ex quo dein ſanguinem ejusmodi humoribus pravis coinquinatum ſervant. Sic Amſtelodamenſis quondam Practicus Celeberrimus Dom. D. G. Præſidi exemplum notatu dignum retulit de duabus familiis, in quibus ſingulæ fœminæ ſpina ventoſa laboraverunt. Ex rebus non naturalibus, primum nominandus aër, ob cujus diverſum ſtatum & conditionem alia præ alia regione ſalubrior, alia rurſus inſalubrior atque aptior morbis tam internis quam externis gignendis exiſtit. Calidior æſtuans ac humidus humores ebullientes & reſolutos reddendo, putredinem & febrem aliaque ſymptomata inferendo contribuit, præſertim autem frigidus humidus

ſani-

ſanitati præprimis inimicus accuſandus, qui condenſat atque obturat, magis, tam ſolidorum maxime membrorum corporis extremorum & prominentium utpote, quæ minus calida cenſentur quam liquidorum particulas, quique tranſpirationem reddit impeditam, unde excrementitiæ ſordes per cutis ſpiracula excernendæ retinentur intus & cumulantur: hinc chronicis affectibus, cachexiæ, ſcorbuto, ac reliquis aliis ab impuro ſanguine exortis morbis anſam ſuppeditat promptisſime. Neque laudandus qui effluviis multis impuris vappidis acrioribus ſalinis refertus, aliisque quæ quovis momento per inſpirationem recepta quæ non posſunt quin ſanguini ſuisque ſuccis ab eo decidiis nutritiis eandem labem imprimant, partes eorum gelatinoſas & balſamicas nimium diſſolvant, acriores reddant, eoque ipſo ad osſium nutritionem & perfectionem ineptas prorſus reddant, unde malum in Belgio atque Anglia familiare maxime in tractibus ejus auſtralibus & occidentalibus ab æquatore longius remotis adeoque frigidioribus, a circumfluentis maris ſalinis exhalationibus ac carbonum fosſilium vaporibus fœtidis & acribus potisſimum elevatis atque ſuperiori ſeculo demum anno MDCXX. ut accepimus, primum notum. Hæc regio inquit Garenzier l. c. p. m. 83. Cœlorum veluti matula eſſe videtur, in quam Jupiter per cribrum mingit, unde non infacete Gallus quidam ex Anglia rediens & alii eo loci proficiſcenti obviam factus, dixit: ſi ſolem conſpexeris ibidem, velim me ipſi commendatum habeas, per duos enim menſes, quibus ibi fui, illum videre mihi non licuit. Eaque ratio eſſe perhibetur, quod lues venerea, ſcorbutus, phtiſis, ulcera aliique affectus ſcorbutici ibidem locorum longe frequentiores & quoque difficiliores curatu ſint, quam in aliis regionibus. Hic corpora præcipue puerorum teneriora facile alterat & ſanguinem, dum inſpiratur, ad coagulationem, acrimoniam, viſciditatem, ſtagnationem putredinem ſuſcipiendam diſponit. Huic ſine dubio primario venit adſcribendum quod ſpina ventoſa Firmanæ civi-

tati endemia ſit, ut ex Pandolphino hauſtum habemus & quod quondam Athenas ſecundum Thucididis relationem contagio affecerit. Quod de aëre ſic contaminato atque frigido nervoſo generi maxime & oſſibus certe inimico dictum eſt, inprimis valet, quando is in os forte denudatum irruit, affirmantibus id ipſum etiam chirurgis, qui dum ulcera & vulnera tractant omni ſtudio aërem a denudato oſſe arcent: Nam ſi oſſa refrigerantur pori eorum occluduntur & humorum circulus in iisdem inhibetur, turbatur & ad ſtagnationem eorum diſponitur, juxta hoc vitium & ſalia acida, quæ talis & aër vehit, oſſa corrumpunt in eorum ſubſtantiam ſe inſinuantia. Alimenta acrimonia, ſalſedine, nimia aciditate & viſcoſitate pollentia, in nimia copia asſumta, viſcidum craſſumque aut ſalſum acremque efficiunt chylum, ad corruptionem & putredinem pronum. Sic infantes ſi lacte nutriuntur, nutricis lue venerea affectæ facile morbus propagatur, hoc enim maxime accuſandum venit, cujus mixtio non raro in acidum degenerat, maxime dum nutrices lac uberrime quaſi intrudunt, eoque potius infantes mactant quam lactant. Ad potulenta nociva hic ſpectant maxime cereviſia acida & vinum auſterum &c. Ad aſſumta pertinent medicamenta, quibus non rite ab incautis & imprudentibus adhibitis, proſtant inductæ ſpinæ ventoſæ exempla. Talia eſſe poſſunt minerales ſpiritus acidi, ut uitrioli, nitri, ſalis, ſulphuris, mercurialia, crebrius & in largiori doſi præſertim ſcorbuticis, aut iis, qui ſalibus acidis in corpore ſuo jam alunt, propinata, quorum v.gr. aliqua apud Job. de Meckern & Fallopium de lue venerea cap. 96. Sennertum Lib.V. Prax. P. 5. cap. I. quis legere poteſt. Externorum quoque remediorum hac occaſione aliquam mentionem injicere licet atq; virgulam quandam cenſoriam addere, quam jure merentur tonſores balneatores, agyrtæ unguentarii aliique hujus furfuris homines, qui inepta vario modo tractatione ejusmodi aliisque læſionibus remediorum ſiniſtra applicatione loco curationis ſæpius hæc mala

pejora

pejora atque insanabilia reddunt, v.gr.quando mera pinguia, oleosa, rancida multaque unguenta poros occludentia & emplastra glutinosa, quibus transpirationem in omni sanatione adeo necessariam & utilem, impediunt, ut & acria acida, corrodentia, vitriolata aluminosa refrigerantia, v. gr. aquas rosarum, plant. semper vivi, cum bol. rubr. sacch. satur. &c. sinistre applicant. Somnus symbolum quoque suum confert; licet junioribus longior concedatur, quia spiritus subtiliores facile avolant ob poros laxiores & apertas magis cerebri, mollioris adhuc; si vero excedit, sanguinem quoque deficiente motu crassiorem atque spirituascentiæ seu volatilisationi minus idoneum gignit, & sic obstructiones generare potest, quale judicium etiam de quiete nimia ferendum est. Nec motus corporis nimius excludendus est, ille præsertim, qui plenos ventres corporaque cacochymica exercet; Quoniam humores mordaces & crudos ibi abundantes ad alias partes vi protrudit ac promovet &c. Excernenda in adultis per alvum & per menses hæmorrhoides, si retinentur, heterogeneæ partes exinde cum massa sanguinea communicantur & illa acidior, acrior & impurior redditur. Pari modo res se habet, quando retinenda p. n. excernuntur, quo fit, ut succus nutritius, sicque materia spirituum perdatur, ut sanguis deinde in vappam & acorem transeat. Simile evenit, ex pathematibus animi, inprimis tristitia atque mœrore diutius protracto. Nam longa præcipue illorum mora spiritus atteruntur animales humores laudabiles in vappam & acorem transeunt, qui non amplius apti sunt ad volatilisationem & spirituascentiam, unde humores ad obstructiones, (utpote causas fere communes morborum,) proni, impedita circulatione acres & viscidi evadunt, vel quoque longiori stagnatione putrefiunt & corrumpuntur &c. Res præter naturales huc quoque spectant, quæ sunt cruditates præsertim pituitosæ acidæ, viscerum & emunctoriorum internorum prava affectio & obstructiones per quas sordes salinæ & sulphureæ generantur

cumulantur atque foventur, & ex his oriundi morbi atque prægressi & maxime retrogressi, utpote qui sanguinem acrem acidum & viscidum relinquunt, spiritus atterunt & ita œconomiam animalem in perversum statum mutare possunt. Ejusmodi sunt variolæ morbilli præsertim juxta alios morbos infantiles quales sunt achores, tinea capitis, ut & scabies, quorum peregrina fermenta e massa humorum non rite per debitos poros & vias secreta in ipsa remanent & cum circulantibus humoribus circulata hinc inde restagnando tales noxas pariunt, vel eandem denuo inquinando talem præternaturalem humorem prædominare faciunt, & hoc eo magis quando animales spiritus a prægresso morbo dejecti profligatique volatilisando sanguini denuo vix sufficiunt, atque porro cancer, ulcera maligna, scorbutus, arrthritis paronychia de qua vid. Platerus Prax. Tr. II. de Dolor. c. 17. strumæ inprimis suppuratæ, ut & ossium fracturæ, fissuræ aliæque vulnerationes & læsiones armis præsertim & globulis venenatis inflictæ quatenus vasa sanguifera atque lymphatica his injuriis lacerantur, ut liquores, quos vehunt effundant, qui sic effusi vitium capiunt, eoque magis quo minus exitus patet, ac ossa fracta rodunt atque tandem dilaniant corrupti; nec non contusiones & laxationes, de quibus Avicenna Lib. 4. Fen. Tr. I. c. 26. testatur. Præ omnibus vero aliis his morbificis causis spina ventosa soboles luis venereæ est, atque adeo plures prostant medici, qui eam unice ab hac deducunt, quoniam ante hujus forte invasionem vix hæc cognita fuerit. His alii veneficia & sagarum incantationes adjiciunt; Prudentiæ autem est, ne medicus hic præcipitet judicium suum atque ignaræ ac superstitiosæ plebi mox assentiatur. Quemadmodum ex his diagnosin rectæ curationis clavem deducimus, ita hinc facile colligere est, quod spina ventosa sit tumor ossis varius cum exulceratione superveniente & in cariem & corruptionem totius desinente, ex humore maxime acri corrupto atque maligno, interne magis adveniente, ortum ducens, tardiusque serpens,

dolore

dolore nunc obtuſo, nunc acuto magis atque oſſis utplurimum mollitie & livore ſe manifeſtans.

§. XIV.

His omnibus luſtratis, quid ſperandum aut verendum ſit, de ſalute indicandum. Morbum igitur non ſtatim mortem inferre putandum eſt: Attamen per aliquot annorum ſpatium protrahi, ægreque ſanabilem eſſe eum, præſertim, qui ſcorbuticos cachecticos lue venerea laborantes occupat, quoniam ſemper ex maſſa humorum nova nocens materia affluit, ſi altiores egerit radices atque ad majorem exulcerationem perventum ſit. Si lividæ partes laborantes ſunt & nigricantes, inflammationem enim & gangrænam adeſſe ſuſpicari licet, ſi nihil abraſio & uſtio proficiant, impoſſibilisque ſic conſolidatio exiſtat, tum propter aſſiduum materiæ affluxum, tum ratione corruptionis oſſis, quæ quo gravior, eo difficilior evadit ſanatio. Incipiens & quæ partem occupat, ad quam remediorum aditus patet facilius quam inveteratus & qui profundius latet v. gr. in coxendice, femore &c. ſanatur, qui plane non aut nunquam fere ſine remotione, amputatione aut exciſione totius oſſis corrupti (quoniam cum oſſibus ita eſt comparatum, ut ſemel labem paſſa vix ac ne vix quidem in integrum reſtituantur) ferro & igne curatur. vid. H. F. ab Aquapend. Lib. 3. Op. v. Horne in Micrat. Sect. 2. P. I. §. 22. Scultetus Obſerv. Chirurg. 90. Namque & rebelle hoc malum eſt, recrudeſcit & renovatur. Difficilior præterea quoque illa caries ejusmodi quæ circa capita oſſium majora majoraque vaſa & tendines aut articulos hæret, quoniam chirurgi manus opem latura ægre accedere & operationes commode perficere poteſt. Qui moriuntur ex inflammatione gangræna & ſphacelo ſuperveniente febre continua decedunt.

§. XV.

Ex tribus proinde fontibus curationis pharmacevtico nimirum chirurgico & diætetico videbimus, quæ ex his ſingulis huic morbo appropriata ſunt, ex quibus ſequentes indi-

indicationes, tam præservatorias quam curatorias eruere possumus. I. Ut primæ viæ repurgentur, primaque coctio, ut ajunt, restituatur. II. Sanguinis acrimonia & viſciditas corrigatur. III. E sanguine heterogeneæ, impuræ partes eliminentur. IV. Parti affectæ topicis convenientibus succurratur, spirituaſcentia vero adjuvetur, totaque massa sanguinea roboretur. V. Tumor aperiatur, appropriatisque tractetur. VI. Ad amputationem & ustionem devenien- dum frustra omnibus adhibitis. VII. Post amputationem calli & cicatricis generatio promoveatur.

§. XVI.

Primus scopus admodum necessarius est; cacochymia (quæ secundum mentem Gvidonis de Cauliaco aliorumque semper causa, quanquam citra rationem existit) enim non ablata ac coctione non restituta chylus congruus non elaborari potest, siquidem vitia primæ coctionis non restituuntur in secunda & tertia. Igitur primæ viæ vomitorio expurgentur, quod noxium citius fortiusque educit purgatione: nam illud etiam alvum solvit, porum biliarium emulget, pulmones ob conquassationem a sordibus suis liberat. Institui potest tartaro emet. mercurio vitæ correcto & rite edulcorato, vel etiam quæ lenissime omnium operatur Ipecacuanhæ radice, eaque fusca atque nodosa, utpote quæ media ac optima. Purgantia & laxantia leniora & balsamica virtute instructa, & per epicrasin operantia non simplici modo multum conferunt. Omnium optime exhibentur in forma pilularum quæ concinnari possunt ex gummi ammoniaco & massa pilular. de ammon. Quercet. de succino Crat. massa pilul. tartar. de hiera cum agarico atque extractis v. g. scordii veronicæ, fumariæ, aloës, rhabarbari. Addi possunt, mercurius dulcis, ut & succinum, flores benzoës, flores salis ammoniaci martiales, opobalsamum &c. & usurpari per unam & alteram septimanam, si has inducias patitur morbus. Violento autem modo hic purgandum minus tutum, quare providus medicus assiduis potius & minutis

eva-

evacuationibus humorum excernendorum copiam ſenſim demat, Mucianum imitatus, qui ut apud Tacitum habetur, tumultuantes milites carptim dimittebat, evellebat. Si alius modus aliaque forma potius arrideat rad. jalappæ ejusque reſina & diagrydium &c. præſcribantur. Digeſtiva his præmittantur; ut operatio illorum felicius ſuccedat ex aromaticis & ſalinis crem. & cryſtal. tartari vitriol. tartar. arcan. tartari arcan. dupl. &c. Alter acrimoniam & viſciditatem emendare præcipit, ne latius ſerpat pertinaciusque fiat malum, quo referre commode poſſumus morbos prægreſſos v. g. ſcorbutum, luem veneream, lepram, variolas &c. Purum ſanguinem efficiunt & viſciditatem reſolvunt, acrimoniam temperant ac corrigunt decocta vulneria & antiſcorbutica dicta, lignorum & ex lignis & radicibus, herbis, floribus, foliis, ſeminibus compoſita, quæque posſunt cum regimine ſudorifero exhiberi: ejusmodi decocta & infuſa ſunto coffee, thee, veron. pyrol. beton. fumar. trifol. fibrin. agrimon. ophiogloſſ. rad. filipendulæ, ſcrophulariæ angelicæ, helen. valerianæ contra jerv. glycyrrh. chin. ſaſſaparil. bardan. caryophl. ſcorzoneræ lign. quajac. ſaſſafras; buxi juniperi ſantal. rubr. ſem. aniſi fœniculi & ſimilia appropriata vegetabilia aquæ fontanæ aut etiam decoctione cum calce viva, & ex his parata medicamenta eſſ. lignor. eſſ. ligni ſaſſafras &c. Opus autem iterum eſt, ut eorum uſum per aliquot ſeptimanas continuemus. His jungi merito poſſet æthiops mineralis, qui ſane lymphæ depurandæ commodiſſimus & tutiſſimus eſt. Eundem effectum præſtant aromatica blandiora oleoſa ſalina volatilia pariter & fixa, ſulphurea gummata & reſinoſa &c. Speciatim adhuc ad acrimoniam temperandam alkalia terrea & terreo-ſalina abſorbentia, præſertim antim. diophoret. ſimpl. & martial. cum lapid. cancr. CC. raſpato, lap. pumicis & ſpongiæ ut & pulvis millipedum, nitroſa, cinnabarina martialia, limat. eſſent & tincturæ, ſaturnina, viperina, antimonialia, tincturæ, antimonii, aquea diluentia & ſi-

D milia

milia utilissima sunt. Salivatio mercurialis adhibenda est, si recensita non proficiant, de qua vid. Nuckius Experim. chirur. p. 155. Hac enim aliis irritis & si præsertim luis gallicæ suspicio adsit, crassæ viscidæque particulæ inciduntur, obstructiones ductuum minimorum obstinatissimæ solvuntur potentissime, uti videmus alios morbos pertinacissimos hac ipsa curatos ex visciditate & acrimonia oriundos, v. g. paralyses, cataractas, strumas, anasarcam, scabiem ferinam, arthritides, elephantiases, scorbutum pertinacem, maniam, colicam, epilepsiam, aliosque morbos inveteratos. Si vero infantilis ætas aut forsan viscerum imbecillitas salivationis mercurialis exhibitionem impediret, temperatiora mercurialia in usum trahenda sunt, quæque lymphæ coagulum, æque egregie solvunt, atque haud contemnendæ efficaciæ etiam in nervorum affectibus deprehenduntur, si earum usus paulo diutius continuetur, qualia sunt jam nominatus æthiops mineralis & cinnabaris, quæ nil nisi mercurius sulphure ligatus est.

§. XVII.

Ipsa salivatio præsertim cum tertio scopo convenit, ut ex sanguine ejiciantur impuritates. Huic porro prospicimus aliis consuetis medicamentis quæ motum simul majorem humoribus inducunt, quo motu sanguinis adaucto non solum partes viscidæ resolvuntur, attenuantur, spirituascentia promovetur, sed & partes acriores viscidæ sudore per totum corpus oborto eliminantur, quibus certe, evacuantibus tempestivis nimirum medici plus certe & in ejusmodi & aliis morbis efficiunt, quam alterantibus & corrigentibus materiam peccantem per longius etiam temporis spatium exhibitis, quibus otiose saltem tempus teritur, si non major noxa eaque non raro nova, continuatis diutius justo illis sæpe inducitur. Diuretica inprimis hic sunt commendatissima, quæ optime humores acres tartareos secernunt, atque excernunt, siquidem & omnium ulcerum

&

& vulnerum curationem egregie accelerant. Nominari hic adhuc possunt tartarea salina volatilia & fixa nitrosa sulphurea balsamica, sulphur terebinth. anisat. bals. de Copayv. peruv. & illorum essentiæ, myrrhata succinata item arcan. tartari, arcan. duplicatum & similia, baccæ lauri juniperi, nec minus diaphoretica & sudorifera, ubi nimirum serum abundat, locum inveniunt. Ejusmodi enim sale volatili blando vel alkalino fixo & terreo salino principio præcipitante prædita sunt atque acidum humorum ligans invertere debellare viscidum resolvere eosdem vero humores attenuare, fluxiles reddere & serosos humores per vias patulas corporis ejicere valent. Ulterius nervina & cephalica his jungantur virtute volatili balsamica instructa v. gr. roborantia & tonica, rosmarin. chamædr. chamepyt. stœch. arab. salv. majoran. essent. castorei, specif. cephalic. D. Michael. aquæ analepticæ & sal volatil. oleos. Sylvii, tinctura corallior. essent. lign. aloës, elex. pectoral. condit. calam. aromat. nuc. moschat. in India condit. pulv. Haly contra phthisin genuina succulata & similia. Ejusmodi sunto etiam alia temperata atq; modica volatilia, v. g. antimon. diaphoret. bezoard. minerale, cornu cervi sine igne præparatum, mater perlarum cum sale volatili viperarum, spiritus salis ammon. simpl. liquor. C. C., mixtura simpl. theriac. veneta in vino sumpta &c. Præterea in hunc usum trahi possunt masticatoria præcipue in phlegmaticis, inprimis mastiche quæ optima est pro sero corrigendo & pituita attenuanda salsisq; humoribus temperandis, optima pro educendis iis aromatica, sulphurea, roborante virtute pollens. Fonticulis successu quidem temporis curatam vidit spinam ventosam, Nic. Fontanus, uti refert Respons. & Curat. Med. p. 149. Materia enim ex partibus aliis ad affectum defluens his intercipitur & expurgatur. Venæ sectio a Pandolphino laudata locum quandoque invenire potest habito ad causas & concomitantia accidentiaque respectu,

 ut

ut nempe plethora minuatur, evacuationes ſanguinis conſuetæ, ſi ſunt obſtructæ, ad debitum ordinem redigantur, inflammationes ſubſequentes arceantur, vel alteratio alia atque revulſio inſtituatur. Tale judicium quoque eſto de cucurbitulis ſcarificatis. Quarto Scopo ſatis fit per balnea vel ſimplicia tantum: aqua enim per poros corporis communicata, acrimoniam humorum mirum in modum temperat; vel per compoſita, thermas tum naturales ſcil. Emſenſes, Carolinas, Hirſchbergenſes, Tœplicenſes, tum arte paratas ex mineralibus & vegetabilibus, ſalibus, alumine, nitro, vitriolo, ſulphure, cineribus clavellatis; herb. ſerpil. ror. marin. major. beton. abſynt. & ſcord. &c. Vel fotus etiam particulares & cataplaſmata actu calida applicata & ſæpius repetita ex mere reſolventibus, exſiccantibus, roborantibus, & acrimoniam acidam retundantibus intermixtis anodynis: neglectis vero emollientibus & ſuppurantibus hic nocivis: qualia ſunt ſerpil. ſalvia, origan. roſmar. majoran. abſinth. ſcord. ruta, nicotian. rad. quinque aperient. lapathi, lignum quajac. rad. leviſt. helenii in vino cocta, aut lixivio e cineribus clavell. in quorum collatura, camphora in ſpiritu vini ſoluta addito balſam. peruv. reliquaque balſamica & putredini reſiſtentia, item ſpirit. lumbricorum terreſtr. & ſimilia conferunt. Nec non ex his & ſimilibus unguenta & linimenta in progreſſu morbi adhibenda v. gr. ex oleo petrol. ol. deſtil. carvi, ſalv. roriſmar. lavendulæ, ſpicæ, ſuccini, terebinth. cum pinguedinibus humana, canina, taxi, caſtoris. Inter emplaſtra autem locus concedendus empl. oxycroceo, de beton. vel ex cera flava reſin. pin. ol. tartari fœtid. &c. confecto.

§. XVIII.

Quintus, his ex pharmacia petitis remediis, quæ & præparationis loco operationibus chirurgicis ordinario

ſolent

ſolent aut certo debent præmitti, ſequitur ſcopus. Igitur tumor præmiſſis præmittendis incidendus ſecundum membri longitudinem, uti vult Joh. Vigo P. I. Lib. 9. p. 1292. ut pateat liberior ad os corruptum aditus. Digeſtiva, dein purificantia, ſiccantia, corruptioni & putredini itidem reſiſtentia eandemque corrigentia, ut balſamica, balſam. ſulphuris &c. per aliquot dies inſpergenda & ſecundum Nuckium l. c. p. 15. euphorbium in ſpiritu vini ſolutum admovendum eſt. Vel (quod melius) terebinthina coctione indurata & in pulverem redacta mixtaque cum unguento ægyptiaco applicanda, præter hæc, huic fini rad. ireos, bryoniæ, peucedan. angelicæ, ariſtol. rotund. thus, myrrha, aloë &c. adhiberi ſolent, ut pars affecta ſecedat, &c. Laudatur pro hoc ſcopo etiam fomentum ex raſ. ligni & cort. quajac. herb. cardui-ben. abſinth. ſcordii, centaur. minor. rut. coctum ex aqua calcis vivæ & vino anatica portione, cujus colaturæ addenda aqua theriacalis, mel roſatum &c. vel etiam convenit linimentum ex ſucco fumariæ, ſcabioſæ veronicæ cum melle roſarum anthoſat. aut oleum caryophyllorum cum balſamo peruviano mixtum nec non elixir propriet. ſine acido, eſſent. ſuccini &c. B. Ettmüll. T. II. p. 1272. extollit ſpiritum vini rectificatum. Alii ol. ligni quaj. deſtill. mercurium dulcem ſolutum in aqua plantag. calide injectum ſuadent. Alii haud male laudant, ungvent. baſilic. ungvent. fuſc. Würtzii, cum pulvere colophon. & cum balſamo ſulphuris Rulandi aut Zwelf. mixtum, nec non cum oleo myrrhæ camphoræ & ſpiritu vitrioli cum part. æqual. ſpiritu vini temperato &c. Ubi ab profunditatem hæc remedia minus commode applicari poſſunt injectiones fiant per ſiphonem: Dicta nimirum rectif. vino ſolvenda ſolvantur vel huic rectif. vitriol. ſecundum Barbetii mentem addatur. Cavendum autem iterum iterumque ab oleis infuſis, expreſſis, mucilaginoſis, quæ emplaſtica ſua virtute malum exaſperant.

§. XIX.

His omnibus vere irritis ad operationem fortiorem chirurgicam confugiendum eſt, ſecundum Celſi monitum quod ſequens eſt; Quos medicina non ſanat, ferrum ſanat, quos ferrum non ſanat, ignis ſanat, quod nec hæc ſanant, inſanabilia exiſtunt! Primo ſcalprum in uſum vocandum, ſecundum Nuck. l. c. potiſſimum ſi ſpina V. non admodum magna fuerit, cum quo tamdiu continuandum, donec omne vitioſum omneque calloſum ſeparatum fuerit, atque exemptum, alias brevi renovatur, ut omne ulcus, cui os corruptum intus remanet. Si autem malum profundius hæret, terebra applicari poteſt, & ea melius quam ſcalpro quidem tollitur. Quo ſublato pulveres exſicantes & callum generantes foramini inſpergendi. Ubi autem dicta inſtrumenta propter loci anguſtiam applicari nequeunt, cannula admovenda, per eamque ferro candenti pars affecta urenda, retracto dein cauterio per eandem præſcripta applicanda. Si & ſic effectus deſideratus non aſſequatur, nec etiam male chirurgi ſolent inflicto vulneri turundam immittere ex rad. gentianæ, ut vulnus dilatetur, nam intumeſcit turunda ex imbibita humidate. Scalpro dein, ut modo dictum, quod vitiatum eſt, abradendum & os corruptum eximendum. Si excreſcentia oſſea & calloſa eſt, emplaſtro & ungento prius mercuriali lamina plumbea mercurio illita prius emolliatur, ut facillius ſuccedat ſeparatio. Finem operationis debitum albedo, ſoliditas, punctula rubra oſſis integri monſtrabunt. Reliqua cura cicatrizantibus & carnem generantibus abſolvitur. Cautela tamen hæc bene obſervanda eſt, circa oſſis abraſionem, uſtionem & evulſionem, ne tendines lædantur, alias convulſiones facile exoriuntur. Hic mirari ſubit truncatos per multos ab amputatione, menſes conqueri, adhuc amputatum crus aut aliud membrum ipſis dolere.

§. XX.

§. XX.

Si & his non cedit, ſed quotidie ulterius progreditur malum, immedicabile hoc ferro & quidem mature reſcindendum, ne pars ſincera trahatur atque perdatur. Quamvis hæc reſectio ſummo ſæpe cum periculo conjuncta ſit: Quemadmodum enim gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quicquid ſervari poteſt redimit; ita medici quoque graviores morbos aſperis remediis curant, quippe ultima pro hominum ſalute tentare fas eſt. Cautelis itaque peritia ac prudentia hic opus omnino eſt, Æger proin & ſi quædam ut febris acuta, virium defectus, convulſiones, hæmorhagiæ &c. non obſtent primum tum medicamentis cordialibus, aut buccella panis vlno mbutij, cum ovo ſorbilo, tum epithematibns & odoramentis fragrantibus roboretur; exulent autem quædam narcotica exhibita, & tanquam periculoſa merito damnentur: pro natura, ſitu, & varietate partis affectæ convenienter illo collocato & ope miniſtrorum firmiter detento, per operanten chirurgum cute ac muſculis ſurſum detractis arctiſimoque vinculo parte ſane conſtricta duobus vel tribus circiter transverſis digitis ſupra locum corruptum adeoque in parte ſana inſtituatur ſectio, ne malum remaneat aut recurrat, contiguas & adjacentes partes corrumpendo licet etiam magnam ſangvinis profuſionem doloremque ingentem animique deliquium ſæpe timeant, quæ vero ipſis ligaturis partim arctis aliquo modo leniri & averti poſſunt; nam quod unicum eſt remedium adhibendum, licet non ſatis tutum ſit; Neque vero in ipſis articulis vel proxime circa eosdem ob exquiſitiſſimum ſenſum ligamentorum & tendinum muſculorum ſectionem & ægre ferentium & graviſſima varia queincommoda & ſymptomata excitantem operatio fiat. Pro modo conſveto cultro falcato omne corruptum ſeparetur, & ſerra acutiori os præſcindatur. In tibia v. gr. commodiſſime inſtituitur reſectio non

procul la

procul a genua genu, in parte magis carnosa, i e truncus relictus ægro imposterum impedimento sit, unde exemplum Paræus recenset Lib. II. cap. 18. quod sc: nova amputatio postmodum genu versus necessaria fuerit; in brachio vero sanæ partis quam minimum amputandum etc. Circa quam operationem circaq; ea quæ hic tenenda sunt, ac observanda, optime tradiderunt modo laudatus v. Horne l. c. 139. Scultetus Armam. chirurg. II. 9. & P. de Marchettis. P. Harduinus de Nova Amput. Rat, v. Horne Microt. Nukius in Exp. Chir. v. Mekern Barbette, Severinus Solingen etc. nec non Hildanus. Botollus, Wierns, Verdun Jac. Tonge, Anglus in Epist: Curr. triumph. annexa, ad quos ne prolixiores simus angustiæ temporis rationem habentes B. L. remittimus. Hæmorrhagia arctis tum vinculis tum cauterio actuali vel pulvere quodam styptico & remediis escharoticis dictis apud chirurgos satis cognitis sistatur, ita tamen, ne statim ab amputatione sanguis effluens sistatur, ne pars oneretur negotiumque ipsi creetur. Primus hic apparatus applicatus ante secundum aut tertium æstate, hyeme quartum quidem diem, nisi quid valde urgeat, non solvendus est. Calli & cicatricis generationem promoventia curationis colophonem imponant. Naturæ hoc opus adjuvant 1.) Improprie talia omnia vulneraria interne adhibita. 2) Proprie talia 3.) Exsiccantia terrea, lapidosa, metallica 4.) Glutinantia atque balsamica 5.) Adstringentia, alumen etc. Ex his composita jam prostant e. gr. ungvent. de cerussa, de minio; de lapide calamin. etc. Ab operatione omni tandem peracta ligaturis commodis pars firmetur atque ægro somnus, quies & victus commode sollicitequе procurentur. Quodsi autem hæc operatio ob loci affecti incommoditatem fieri commode non potest, tunc desperata omnino res est.

§. XXI

Hæc ad sextum ducunt, qui restat, diæteticum, nempe scopum, qui tam ad præservationem, quam curationem,

nem feliciorem facit multum: Aer, in quo nihil salubrius, nihil conducibilius tranquilla lenique temperie ejus, igitur vitetur nocturnus, crassus, humidus, austrinus, ut & & frigidus præcipue aquilonaris qui poros occludit, transpirationem impedit, humores incrassat, fluxiones concitat malumque hoc magis exasperat, ossibus enim & nervis aer frigidus maxime exosus est, nec non efluviis acribus inquinatus. Eligatur, vel talis procuretur, tenuis, purus, siccus & calidus. Notandum hic, ne in ipsa chirurgica operatione forte ventiletur, quoniam hoc modo aer ambiens refrigeratur & denudatis partibus noxam haut contemnendam affert; quare etiam circumspecti chirurgi non procul a patiente in hac medicatione carbones candentes ponunt & diligenter pannis calidis partem denudatam ac vulneratam cooperiunt. De reliquo patiens degat in loco remotiore & loco potius obscuro quam lucido nimis, radiis solis aut candelarum splendore illuminato. In his ut & aliis pertinacibus affectibus ac vitiis mutationem aeris & loci per migrationem, salutiferam & optimam medicinam observamus simulque advertimus, quædam loca his & illis læsionibus inimica atque aversa esse, alia aliis rursus opportuna atque amica, ut v. gr. vulnera capitis contumaciora & difficilia curatu Parisiis sunt quam Avenione & e contrario vulnera tibiarum hic molestiora quam alibi, referente Ambr. Paræo Lib. X. cap. VIII. quoniam in hoc præsertim affectu hoc præcipue monendum est, quod non à medicamentis solum, sed & a victus ratione præsidium sit, ut meliores succi corpori advehantur, quod alimentis rite præscriptis & juste dispensatis optime impetrari potest, ideo & Amato Lusitano teste Cent. VI. curat. 6. vulnera capitis periculosiora sunt Bononiæ quam Ragusæ. Angli ex vitio suæ atmosphæræ in phthisin proni in Galliam vero & præcipue Avenionem profecti aut immunes ab ea manent diu, aut optime ab ea penitus liberantur. Singu-

laris ea Hildani obſervatio eſt p. m. 935. de homine quodam ultra annum graviſſime ex vulnere ægrotante & à primo ſtatim die itineris ſicque deinceps indies melius ſe habente. Ita Veſlingius in Not. ad Proſp. Alpinum Cap. IX. ſcribit; Vidi ſæpe peſſime & in oſſa ſæviente morbo affectos cum extrema alibi omnia fruſtra tentata eſſent in Ægypto citra magnam præſidiorum vim noxiam luem fuiſſe ab actam. Similes hiſtorias afferunt Borrichius in Act. Haffn. Vol. III. p. 76. obſ. 43. Turq. de Mayerne Conſ. Pigray Epit. de Præcept. de Med. & Chirurg. Lib. IV. c. IX. p. 368. Dampier Cap. X. p. 319. & Cap. XII. n. 377. Thevenot Itiner. T. I. L. I. C. V. Entius de Circulat. Sangvin. pag. 6. ſeqq. Scaliger Exercit. XXX. Experient. Ridlinus in Lind. Med. A. M.D.C.V. C. p. 256. nominatim ſpinam ventoſam mutatione ſoli patrii, Viennam itinere facto, ſanatam allegat: Hinc non poſſumus non hoc quoque remedii genus hic ejusmodi ægris commendare. Eorum vero locorum appetendus tunc acceſſus, quos temperati venti ſerenant ac ſolis orientis radii ſvaviores fovent, ubi nullæ aquæ lacuſtres paluſtresque pernicioſos halitus exſpirantes, ubi impuritates quævis non coinquinant, ubi ſitus ſublimior nullis montibus obtegitur, ubi nullæ fodinæ tetras exhalationes ſulphureas ſalinas, acres, acidas, narcoticas, mercuriales, ſaturninas, arſenicales ſpargentes. Cibi præbeantur facilis digeſtionis, mucilaginoſi, boni ſucci, quo acrimonia temperetur, ut pulli gallinarum, cancri, caro vitulina &c. pultacea, juſcula carnium, macere, nuce moſchata, croco cinamomo parca tamen manu, condita & cichorio, borrag. lactuca atque petroſelino, endiv. atque aliis herbis & radicibus diureticis aperientibus cardiacis & antiſcorbuticis &c. alterata. Vitentur vaporoſa, allium, cepa, muriatica acria ſalſa carnes ſale fumoque induratæ, caſeoſa, & præſertim fructus horarii, viſcoſa & quæ alias obſtructionibus anſam dare poterunt; Cum ſimplex victus ſemper ſane utilis, ita in hoc ſimilique morbo

bo utilissimus est: ubi enim varietas, ibi confusio. Ea præsertim ciborum farrago exulet, ubi ejusmodi ingeruntur quæ plane inter se non conveniunt: Nimirum facile corruptibilia durioribus, difficiliora concoctu mollioribus, pinguia dulcibus, acida aromatibus, lac, & lacticinia acetosis & fructibus, aut fructus horarii cum saccharo; aromata cum vino generoso spitituue vini, non misceantur: aut etiam vinum modo recens modo vetus, & zythus plus minus fermentatus non superinfundatur. Nec famelici ventriculum minis onerent & sobriæ vitæ studeant. Non ingurgitentur alimenta affatim aut in nimia quantitate & bene masticentur, in quo magnum solutionis alimentorum momentum positum esse Arabes optime commemorant. Potus bene defæcatus laudatur, cui gelatinæ CC. potest indi. Conveniet quoque cerevisia medicata cum melissa salvia, betonica, absinthio, scolopendrio, majorano rore marino, radice pimpinillæ &c. Vel loco potus ordinarii paretur decoctum cornu cervi rad. scorzoner. chinæ, sassaparil. lentisc. cum. passulis minoribus, ptisan. Propinetur infus. thee, coffe, salviæ, veronicæ quæ viscositatem atque acrimoniam resolvunt & temperant, ac per sudorem & diuresin educunt. Vinum quoque sobrie haustum vel parce dilutum, non recens, aut non mimis forte & inebriatiuum, hispanicum, ut & spiritus vini &c. sed mediæ & bonæ notæ & diureticum, mosellanum præsertim neckarinum & rhenanum concedi potest, inprimis medicatum specificis alterantibus paratum, ejus tamen usus sit moderatus & aliquot guttæ salis volatilis oleosi vel spiritus cochleariæ instillari possunt. Totius cœterum victus ratio tum secundum læsionis conditionem, tum secundum vires ægri & secundum symptomata ordinetur; non minus talis cura, ætati, consvetudini, temperamenti, tempori anni ut & regioni adhibeatut. Hujus ratio etiam hic svadet, ut etiam ex conducibilibus pauciora, offerantur, valet enim hic præsertim illud: Impura corpora, quo magis nutriveris, eo

magis læſeris. Motu & exercitio corporis modico, quod ſecundum Hippocratem artuum & carnium cibus eſt, ſive refectio ac robur articulorum & muſculorum, ſanguis attenuetur. Ab operatione vero chirurgica patiens non frequenter de latere in latus ſe volvat atque revolvat. Vigiliæ non excedant, ne ſpirituum depauperationem pariant. Somnus ſit moderatus atque ordinatus, ne humores viſcidi & obſtructiones proveniant. Excreta & retenta per alvum, veſicam, uterum, cutem tandem ſuo reſpondeant officio, ne fomitem mali adaugeant atque foveant. Excernenda enim niſi tempeſtive educantur priusquam accumulentur, quæque adverſa corpori injuriis obnoxio metuenda ſunt, quoniam imminent ſimiles humorum motus & morbi. Et quemadmodum alvi in ſpecie lubricitas in conſervanda ſanitate maximas partes tenet, ita in hoc affectu auxilium præcipuum & ſingulare eſt. Venus certe magisque immoderata lædet tum vires eludit & debilitat: quemadmodum enim ut belle ſcribit Valerius Max. de continent: Ii Penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu ſtabile ſteterit ut minimum virium veneris cupido ſibi vindicaverit: nam quo iſta generis humani certiſſima peſtis penetraverit, injuria dominatur, infamia flagrat, ita corpus humanum firmum ac validum facile permanſerit, ubi libidinis expertem quis ſe præſtiterit, at brevi omnis vis corporis pariter ac animi dilabetur ſi pernicioſæ hæ & improbæ cupiditates imperabunt, quoniam per ſeminis excretionem ſimul calor & humor vitalis laudabilis perditur. Triſtitia præcipue curarum turbæ, mœror, terror, ira, horror inter animi pathemata vitanda, & cupiditates cœteræque animi, peſtis & furiæ fugandæ, quarum tanta vis eſt, ut prorſus animo & corpori vigorem eripiant, unde nulla functio animalis machinæ rite procedit & ſic morborum variis generibus occaſio uberrima ſuppeditatur, ſiquidem in illa & per illam (triſtitiam) acidum præcipue nocivum generatur, omnes ſecretiones & excretiones ſegniores redduntur, ſpirituum gene-

generatio impeditur &c. Ab adſtantibus, blandimentis ſpes & animus ægrotantium erigatur & alliciatur. Et hæc quidem de diæta adultorum adducta ſunt. Infantes lactantes nullum aliud regimen obſervare poſſunt, quam quod nutrices ſervant, igitur bene attendere convenit, ut hæ ad exactam diætam nunc præſcriptam ſe adſtringant, & ne laborent morbo aliquo contagioſo, lue gallica imprimis ut & ſcorbuto & ſimili, quoniam lac infantum alimentum varie ſic inficitur, potum & vitiatum, aut loco partium chyloſarum ſerum ſalibus imprægnatum præbere infantibusque varia incommoda parare aptum eſt, & ut debitis requiſitis lac illarum gaudeat. Igitur ſpeciatim conſultum erit, ſi a paſtu aliquam ſeminis aniſi, fœniculi, carvi portionem manducent, quorum lactis coagulationem impedit & humores nutritios optime diſponit aromatica volatilitas. Nec minus pultis habenda ratio eſt, quam ex pane potius triticeo exſiccato minutimque contrito cum lacte & tantillo ſeminis aniſi & fœniculi pulveriſati, quam ex farina parare magis conveniet. Circa pultis ingeſtionem deteſtanda ſpeciatim illa nutricum & anicularum prava conſvetudo, qua pultum vel alios cibos ore prius excipiunt, maſticant ſalivaque ſua impura & fœtida inficiunt, ex quo non prima modo digeſtio ſed & reliquæ eadem noxa imbuuntur atque depravantur. Inſuper quoque lactatio ſit bene ordinata nec ſuperflua qua mactantur verius tenelli, quam lactantur, quoniam tunc lac priori jam ſubacido nondum digeſto novum male ſuperingeritur, ex quo cruditates neceſſario cumulantur & ex his plurima mala exoriuntur. Non omittantur quoque pro ratione ætatis convenientes corporis motiones, jactatio cunarum, in ulnis nutricum geſtatio, luſus in ſedendo & ſi ætas & vires permittunt ambulatio &c. Sique his tenellis ægris debita remedia interna propinare non liceat, eadem tamen nutricibus aſſumenda præbeantur.

 §. XXII.

§. XXII.

Ultimo loco hoc monendum duximus, quod ægris ſic truncatis ablatisque membris & artubus majoribus ut fœmoribus, cruribus, brachiis plethoræ affectus utplurimum ſequantur, quibus ut etiam proſpiciatur ſanguinis miſſio aliquoties celebranda, victus que moderatus injungendus venit. Perditorum vero per hoc medium atque remedium, membrorum damnum reſarciat per fabricatas machinas artificialis imitatio & manuum & pedum ferreorum & ligneorum fabricatio & applicatio, de quibus & de ejusmodi exemplis Aquapendens, Fabricius, Hildanus, Paræus, Solingen, Minodæus Lib. III. cap. 14, inprimis adeantur.



II. DIS-

II.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA DE LIGATURIS DOLORIFICIS.

PROOEMIUM.

Vix perferendæ, sed justa indignatione castigandæ, optimo jure meritoque istæ in medicos & chirurgos criminationes, quibus non modo ignara atque inepta plebs ad judicandum tamen præceps, sed & alii iniqui atque malevoli nostrorum quidam hominum censores frivole atque inepte satis in bonos invehuntur, (siquidem si ullus artifex judicio hominum expositus est, certe Medici & chirurgi sunt) quod propter chirurgicos saltem quosdam cruciatus, quos infelicibus patientibus magno instrumentorum apparatu comparato, quorumque nec dum satietas, vinciendo, ligando, stringendo, rodendo, terebrando, serrando, secando, amputando, inflictis vulneribus vulnera nova addendo (a quo ipse jam Hippocrates non abhorruit) atque urendo quandoq; inferre habent necesse, non modo remedia hæc inventa carnificum esse, latronibus magis quam ægrotantibus applicanda magna audacia asserant, sed & Medicis suadentibus atque injungentibus ac chirurgis operantibus curiosaque licentia grassantibus, lanionum, tortorum atque adeo carnificum titulum, ignominiæ maculam crudelitatisque notam pessime imponant atque inurant, ideoque vatiniano prorsus odio eosdem prosequantur. Haud enim scio, an quid indignius de nostris hominibus (non loquor de tonsoribus, balneatoribus, circumforaneis, seplasiariis & hujus fæcis aliis pluribus, qui artem nonnisi in tormentum generis humani exercere videntur) effutiri potuerit; inter quos præcipue medium

dium digitum (ut ajunt) monstremus, Henr. Cornel. Agrippæ, homini supra modum maledico ac nimia culpandaque licentia famoso quam sibi audacter sumsit, in omnes propemodum, artes & scientias aut disciplinas laudabiles colentes atque exercentes. Ideo etiam non admodum collaudandus severus ille censor Marcus Cato, qui hanc quoque ob rationem lege caveret, ne Medicus Græcus aut Arabs Ægyptiusque Romam intraret, quoniam a sævitia & crudelitate, quam vocabat, medentium abhorreret, qui morbos urendo ac secando ad sanitatem perducere conabantur, atque vulnerarios ideo atque adeo carnifices vocavit, filiumque ut ab universis sibi caveret, monuit. Hinc & Prudentius scribit:

Horretis omnes hasce carnificum manus,
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sævit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, & recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.

At hortatur nos ac monet Medicinæ Parens Hippocrates noster, vid. Sect. I. Aphorism. extremis morbis extrema remedia tanquam optima admovere. Nam quamvis ad tria illa attendere jubeatur Medicus, ut cito tuto & jucunde curet; est tamen interdum, ubi necessitas, legis expers, ab hac regula deflectere jubet, & ut de vita & sanitate proximi laborantis consulat, atque magnis morbis, magnis remediis obviam iturus nihilque intentatum relicturus, ægrum tractet aliquando durius, atque adeo ab ipsa remediorum crudelitate in morbis crudelibus quandoque solamen speret, vel ad gaudia salutis excruciet. (ut Cassiodorus loquitur.) Inter illa quoque dolorifica & ægris sæpe molesta at felici effectu atque eventu comprobata atque a veteribus multis, inter quos Erasistratus est antesignanus passim collaudata atque commendata remedia sunt quoque ligaturæ dolorificæ, non vesana certe remedia, quæ pro exercitio disputatorio nobis argumentum selegimus, quod ut æquis A. L. oculis intuearis, enixe contendimus. His vero conatibus Deus T. O. M. exoptatum eventum largiatur, & faxit, ut cedant in

nomi-

nominis sui gloriam, Nobilissimæ Artis Medicæ incrementum plurimorumque ægrotantium desideratam salutem.

§. I.

NOstri census ligaturæ sunt, quæ variis corporis humani partibus, artubus, brachiis, cruribus, pedibus, manibus, digitis fortius stringendo applicantur, ut etiam dolores afferant, ac ut per illam ipsam fortiorem stricturam & dolorem, quem efficiunt, varia commoda atque salutares effectus simul concilient. Hæ sive latæ sive minus tales & contortæ rotundæque magis sint ex linteamine, panno, corio, filis sericis, laneis, cannabinis, inter se contortis conficiuntur, quæ dein sub nomine fasciarum, ligamentorum, funiculorum, cingulorum veniunt, & ita partibus corporis exterioribus, artubus, brachiis, manibus, digitis femoribus pedibus applicantur, ut forti manu arcte constringantur, atque undique membrum cingant, ac sensibilissime afficiant, ut ultra injectam ligaturam nullibi arteriarum pulsus percipiatur, moxque elapso pauco quodam temporis spatio relaxentur, sæpiusque sic per vices repetentur, ut partes non modo intumescant paululum, sed etiam rubescant notabilius & dolore quodam afficiantur, per quam constrictionis & relaxationis vicissitudinem simul varia maximeque verenda & periculosissima mala, quæ ex constrictione fortiori & diuturniori ex vasis sanguiferis & nervis præter modum coarctatis adeoque libera circulatione atque affluxu prohibito propullulant, ut inquietudines, vigiliæ involuntariæ, motuum imbecillitates, humorum præternaturalis affluxus stagnationes, exulcerationes, partis atrophia, virium debilitas, imo animi quandoque deliquium & febris atque gangræna, ipse tandem sphacelus ac mors præcaventur.

§. II.

Applicantur hæ ligaturæ & partibus in unitate solutis & integris, prout necessitas exigit, quando nimirum quod

F præter

præter naturam neque decenti naturalique modo & loco se habet movendum & removendum venit, unde varii formantur scopi, varii spectantur effectus atque præcipue, ut attrahant, sedent, excitent, stimulent, derivent, divertant, revellant, (venia igitur sit horum nominum, nam non prorsus inania illa sunt) atque cohibeant, intercipiant. Licet enim eadem, eo quo veteribus placuit modo, stante humorum circulatione Gvil. Harvæi diligentia patefacta, non fiant, juvant tamen ea dum partem affectam ab irruentis impetu concitatiori ejusque quadantenus collectione vindicant, & ab opprimentis, turgentis ac furibundi gravamine liberant, nec non lympham commovent, poros cutis reserant, calefaciunt atque excernunt & auferunt, cutem rarefaciunt, poros & glandulas subcutaneas aperiunt, torpidum sanguinem fluxiliorem reddunt, atque majorem affluxum excitant. Ad tales effectus certius producendos hoc remediorum genus per ipsum rerum usum commendatum validum est, quam quod maxime & omnibus requisitis gaudens, quæ in hoc genere desiderari possunt, atque simul evporiston & domesticum, facile & sine sumtibus & impensis parabile exiguoque apparatu comparandum, sineque magna arte ac opere perficiendum. Non modo hinc utilissimum, sed & sæpius maxime necessarium est, quodque celeriter juvat, sique ad repellendos morbos omnes insufficiens solum sit, suum tamen ubique addit symbolum haud contemnendum, aliisque internis assumtis auxiliatrices quasi manus porrigit.

§. III.

Hi singuli effectus ex strictura, attritu & pressione subsequente, ex dolore & ardore clare fluunt, quando enim per ligaturas fortiter applicatas partium subjectarum tota compages & in ea cutis musculi omnesque contenti canales vasa sanguifera nervi omniaque reliqua organa secretoria & excretoria, glandulæ earumque ductus excretorii valide sic premuntur, omnes canales angustantur, qua angustatione

mate-

materia inibi contenta & forte morbifica efficaciter exprimitur, ſimulque in vicinis undique partibus ſanguis atque humores ad canales ſubinde anguſtiores adacti, atque vi quodam compulſi expreſſione ibi adhuc majori facta horum motus magis acceleratur, compages illorum dividitur, diſcontinuatur, ſubtilior & fluidior redditur, atque ſic etiam quod hæret liquidi aut craſſioris lenti, inertis aut difficilius movetur in canaliculis quibusvis ſubtiliſſimis, poris, vaſculis, fibris, glandulis dimovetur, abripitur, derivatur, ſecedit & foras excernitur. Ea enim quæ moventur magis adhuc quæ ſicconteruntur, attenuantur. Hæc ut expeditius inſtituantur, adjuvat tonus atque elater partium maxime ſolidarum, qui hoc modo ſtrictior, auctior & validior redditur, allectis ſpiritibus animalibus ſenſum motumque præſtantibus, qui eas animant ac excitant, quæ operatio in aliqua parte facta longe lateque deinceps extenditur: Ea enim partium totius humani corporis atque præcipue motus fluidorum ſanguiniſque circuli, ut & ipſarum ſolidarum quas fibræ carneæ, membranaceæ nervoſæ componunt in partibus conſenſio eſt, ut ſi una earum afficitur, tenditur, ſtimulatur, vellicatur, aut motus acceleratur, in aliis quoque ſubinde partibus motus quoque auctior contingat, & in univerſa ſanguinis & humorum maſſa motus & circuitus quoque intenſior fiat, ut vel a manuum ſaltem fortiori frictione id evenire comperimus, & ſic quivis in ſeipſo ſentiet, pedibus, quæ extremæ corporis partes ſunt, calidis ſervatis totum corpus incaleſcere. Ex hac ſane conſenſione multi & varii peregrini & mirandi ſæpe effectus proficiſcuntur. Hæc & alia efficacius adhuc dolor exinde excitatus efficit. Hinc orgaſmum notabilem mox patitur univerſa ſanguinis maſſa, cor vehementius atque frequentius ad ſui contractionem adigitur, & ſi augentur & ingraveſcunt præter modum, multis peſſimis ſymptomatibus, magnis fluxionibus & uberiorum humorum ad imbecilles partes affluxu, inflammatione, gangræna ipſoque

ſphacelo corripitur atque corrumpitur corpus, atque adeo furore, inſania & deliriis ipſa mens illis vigentibus, perturbatis ſpiritibus animalibus occupatur. Continuatis inſuper longius his tormentis per influxus nimios ſpiritus tandem exhauriuntur & pereunt, unde ſenſus obtunditur ſæpiſſime & partibus inducitur torpor. Hinc veteres ut Avicenna aliique vim attractivam iisdem adſcripſerunt; Recentiores vero Medici hanc rem affirmantes cauſam ejusdem ſcite per modum, modo digito quaſi indicatum afferunt atque explicant perſpicue, roſionem nimirum vellicationem & irritationem & triſtem illum dolorificum ſenſum partem aliquam acerbe afficientem ad eam humores copioſius movere & pellere ſpiritus animales, quæ ab illorum occurſu dilatata & tenſa copioſius ſubinde ſanguinem admittit in ſe, ſic admiſſus vero uberior & ſubinde irruens tandem fibrarum tonus laxatur nimis ac debilis redditur, ut adhuc plusquam antea jam recipiat, & continuante dolore non omne remittatur, ex quo impedito refluxu tumor ſubnaſcitur, ſtagnans ſic ſanguis atque incuneatus quaſi & congrumatus parti dolenti diutius affluentis affluxu motuque impreſſo actuatur, & ad fermentationem quandam adducitur, a quo inteſtino motu fibroſæ partes ſenſim diſtenduntur, & ab acrimonia conjuncta eroduntur, unde dolor magis magisque augetur. Hi univerſales corporis vitalis animalisque tortores frequentius ſane atque communius acerbiusque aliis malis ſingulis animalis partibus violentiam inferunt, præcipue magis ſenſibilioribus membranis & nervis proxime motricibus fibris, muſcularibus nec minus tendinibus & ligamentis, & dein etiam vaſis humores continentibus, per quas ſenſiles partes moleſte affectas accidit, ut non raro dolentibus quibusdam partibus condoleant aliæ non ſolum vicinæ & proxime adjacentes, ſed & interdum longius remotæ.

§. IV.

Ubi dolores affligunt vehementiores, immanes & continui

tinui

tinui a natura illi alieniſſimi triſtes & graves ſenſus omnibusque ſenſibus externis communes, affectus atque morbos comitantes & ſubſequentes potiſſimum omnes, quique adeo moleſti ſunt, ut miſeri præter hanc omnia mortem etiam non raro perpeti malint, nihilque ideo magis ac hujus levamen ac ſublationem expoſcunt, ac rogant, horumque remediis nihil gratius habent, atque qui ſpaſmodicis ſuis contractionibus cauſas morbificas aliaque ſymptomata detinent, incuneant & adgravant, ſublationemque eorum impediunt; maxime ſi eas quæ ampliſſimo in corpore humano munere perfunguntur nobiliores nimirum & interiores partes & ad vitalitatem maxime neceſſarias, cerebrum, nervos, cor, diaphragma afficiunt, ac torquent, res eſt periculi plena: Siquidem ad vires proſternendas mortemq; inferendam validiſſimi illi ſunt, concurrentibus præſertim gravioribus ſymptomatibus aliis, vigiliisnempe, extremorum infrigidationibus, animi deliquiis, deliriis &c. Ibi non modo admodum utiles, ſed & maxime neceſſariæ ligaturæ dolorificæ cenſentur, atque ubi abſtruſiſſimæ intus cauſæ morbificæ hærent apprime conducunt: Sic v. gr. in illo difficillimo cognitu caſu, quem G. H. Velſchius, Auguſtanus Epiſegm. L. IV. propoſuit de fœmina quadam primaria intolerabili ventris cruciatu per intervalla exacerbari ſolito diu afflicta, cujus nec cauſam ſatis aſſequi poterant, exercitatiſſimi Medici in conſilium vocati & medicamenta ſive interna ſive externa doloris vehementiam nedum mitigabant, atque conjecturando tandem ille eam in bilem conjecit, tumore vias obſtruente aut comprimente diutius in veſica retentam ipſaque mora acriorem & malignam redditam ingentes illos cruciatus genuiſſe, ſi quando copioſior per intervalla in inteſtina effunderetur, allevamento ligaturæ dolorificæ externis partibus applicatæ forte fuiſſent. Rurſum ubi iidem ignobiliores partes & exteriores & a principibus partibus longius remotas, ut artus, brachia, crura, pedes & tibias infeſtant ſalutares in-

terdum esse possunt, quoniam hoc medio atque remedio licet satis ingrato, noxii humores procul etiam depelluntur atque exonerantur. Porro exinde haud incongrue concluditur, ubi materia peccans acris mordensque dolores inferens intimius se insinuavit & profundius hæret, ideoque admodum pertinaces sunt, atque ad quos medicamenta validissima etiam sæpe tam alte vix penetrare & vel leniendo vel discutiendo auxilium ferre nequeunt, quales præcipue cephalalgia, ophthalmia, odontalgia, otalgia, cardialgia dolores ostocopi dicti, ischiadici, podagri, alii ex aliis fluxionibus & congestionibus oriundi, fixi vagique atque acuti & gravativi, & quorum longinquitas abscessus intus procreat, per subortos exterius dolores quandoque adjutorio itidem esse valent, quatenus ad extra evocatur, atque exturbatur, quod intus hærebat, rodebat atque vario modo molestabat, ut perspectum est, frictiones fortiores, rubefacientia & cæsiones extremorum partium cum urticis, ambustiones per Sinensium moxam (cui artemisiæ nostratis lanuginem parem effectum edere in Ephem. N. Curios. Dec. II. An. IV. Obs. I. p. 1. notatum legitur) aliasque res combustibiles ut & sinapismos phœnigmos vesicatoria in ejusmodi casibus admodum utilia esse partibus etiam non dolentibus applicata; Verbo non modo in immanibus doloribus sed & in quibusvis symptomatibus urgentibus compescendis primum propemodum locum sibi vendicant, vincula ejusmodi dolorosa quoniam revulsionem quasi efficiunt.

§. V.

Perpendentibus quanta & qualia mala hæc sint, (dolores) quæque alia longe plura eaque gravissima post se trahunt, quæ in hunc censum veniunt, quamque impense enixeque hi miseri patientes a medentibus soleant illorum allevamentum atque remedium omnibus etiam posthabitis aliis symptomatibus iisque periculosioribus efflagitare, ligaturarum dolorificarum usus egregius in his atque aliis morbis amplio-

amplioribus alioquin verbis edifferendis & recenſendis paucis hic ſaltem collatis extemplo conſtabit & experti credent proſpere ſolvi dolorem, dolore, triſti hac ſenſatione (ut alias quandoque etiam lætabili ut gaudio & riſu, uti per multa conſtat exempla,) propemodum omnem eumque habitualem & pertinacem ſive etiam ille ſit ardens, pulſans, lancinans, tenſivus, gravativus, mixtusque, ſive etiam illum per eſſentiam ſive per conſenſum nomines diverſorumque horum diverſam cauſam alleges, juxta Hippocratis Aphoriſmum 46. Sect. II. Duobus doloribus nec eadem parte obortis ſimul vehementior minorem obſcurat: Spiritibus enim animalibus & ſanguine dum in alia parte irritatio accedit retractis veluti & aliorſum derivato animi ſenſu plusque commoto, doloris remiſſio contingit, uti aliquem ſperatum effectum acceptum referunt, habita cauſæ ratione applicatis veſicatoriis, fonticulis, ſetaceis, frictionibus aſperioribus & fortioribus, flagellationibus, urticationibus, rubefacientibus, pectinationibus cucurbitulis, de quibus ut rei noſtræ interſit, modo audiantur Hippocrates in Epid. dicens: Qui cucurbitulam affixit, cum in coxa dolorum haberet, huic in crus deorſum venit & melius habuit, & Valleſius hæc commendans ſequentibus verbis: Nullum in magno dolore remedium magis præſentaneum & ut a parte affecta in aliam ignobiliorem materia abſcedat, ſæpe cauſa eſt, ut hic evenit. Vitus Ridlinus in Lin. Med. III. M. Dec. A. MDCXCV. refert; quendam empiricum ſe dolorem dentium cuidam certo amico ſublaturum promiſiſſe, modo in alio loco dolorem quendam ferre velit, cui conditioni cum annuiſſet dentibus laborans medicaſtrum iſtum ano allium indidiſſe, unde tantus in illis partibus dolor ſubortus, ut de dentibus amplius ne verbo quidem æger, de dolore hoc vero multis ejulatibus conqueſtus fuerit. Perpendentibus amplius harum efficacia clarius conſtabit, ſtimulantia qualia maxime dolorificæ ligaturæ ſunt, in diſtans quoque operari ſive remotiſſi-

motiſſimarum etiam partium materiam peccantem ad ſtimulorum emiſſaria derivari, quæ res per multifaria experimenta atque exempla poſſet comprobari, ſi diutius huic inhærere volupe eſſet. In talibus affectibus, doloribus gravioribus ſtipatis & in periculum vitæ conjicientibus ligaturarum dolorificarum uſus eo magis commendandus venit, in quibus interdum narcoticis utendum temere non eſt, neque venæ ſectionem, alioquin liberiorem ſanguinis circulationem apprime promoventem & acres pertinaces dolores ſopientem atque topicorum applicationem, disſuadentibus contra indicationibus & obſtaculis quibusdam interpoſitis ſatis tutam eſſe cenſetur. Quod de doloribus dictum eſt, id etiam de inflammationibus, quas iidem ordinario comitantur, varias corporis internas maxime ac eas quidem nobiles partes occupantibus, ubi nimirum aucto attritu partium ſanguinis in ſuo per arteriarum minima vaſcula in venas ſocias tranſitus eſt impeditus atque affluentis continuo reliqui ſanguinis appulſu & agitatione commoti, dicendum & affirmandum æque convenit: Diſſipant enim ſic ligaturæ hæ & ſanguinis motum localem potenter promovendo partem affectam liberant.

§. VI.

Hoc in numero habenda pariter alia vitia longe plura ipſorum ſpirituum animalium atque nervorum, quales ſunt ſtupor, convulſio, ſingultus, paralyſis, pareſis paſſio hyſterica, & epilepſia, nervorum rigor, ſpaſmus ſive nervorum diſtenſio ſive ea levis ſit a flatibus potiſſimum oriunda, ſpaſmus flatulentus ideo dicta, perbrevis licet, ſæpius tamen recurrens, ſive etiam gravior, diuturnior & pertinacior, quæ membrum ſic contrahit, ut reduci ad priſtinum ſtatum vix poſſit, nervis muſculisque verſus ſuam originem præter voluntatem convulſis idque cum vehementiſſimo dolore, qui vires ſubinde patientis atterit atque conſumit. Hæc ubi etiam partes remotas miſerrimum in modum vexant atque contorquent peſſimeque

ſic

ſic vitiant ligaturæ dolorificæ artubus femoribus & pedibus ac ubi primum ſentitur malum injectæ ulteriores convulſiones ſupprimunt, componunt atque avertunt apprime motum irregularem nimirum ſpirituum animalium intercipiendo: Nam per irritationem ab extra factam vehementiorem prior determinatio excutitur & ataxia ſpirituum corrigitur, qualem effectum etiam videmus a veſicatoriis delirantibus v. gr. applicatis. Apud Lindenium occurrit juvenis quidam ex carie in pollice epilepticus, qui ſola ligatura pedis arctiſſima paroxyſmum impediebat, quandocunque volebat & in tempore adhibebat. Porro in illis graviſſimis malis, quibus correpti homines aſpectu quamvis ſani atque valentes inflicta veluti plaga percuſſi repente concidunt & ſine ſenſu, ſine motu ac mente veluti cum ſtertore ſpiritum trahunt, nimirum in affectibus ſoporoſis, lethargo, caro, comate nec non catalepſi, atque ipſo attonito morbo & nervorum reſolutione ut & vertigine rotatoria atque iis, in quibus mens patitur & errat in deliriis eadem cum fructu applicantur, iisque ægri commodiſſime excitantur, quovis modo juvantur & ad meliorem ſtatum reducuntur, per dolorem nimirum ſic excitatum, in quem finem etiam puncturæ infliguntur. Talem enim triſtem ſenſum non modo ſed & omnia alia quæ animum contriſtant in ſenſu exſtincto revocando plurimum prodeſſe, Avicenna ſcripſit Lib. III. Tr. Fen. IV. Cap. I. Nec non quoniam movent & excitant ſpiritus atque humores non modo in ſuffocatione uterina, ſed & in lipothymia & ſyncope opem admodum opportunam conferre valent. In paralyſi & ubi ſenſus deficit, membris ſic vitiatis, ut rurſus vigorentur ipſis potius inducantur, alternis & ſæpius repetitis vicibus tamdiu repetantur, usque dum calor, motus & ſenſus redeant, immo dolor quidam ſentiatur tonusque debitus reſtituatur. His addendum delirium triſte ſeu melancholia atque inferendum, ligaturas dolorificas, interceptionem & revulſionem humorum efficientes, auxilio haud

contemnendo esse. Ob eandem rationem in phrenitide paraphrenitide & mania nonnihil juvamenti promittunt. Hinc etiam fluit, quod strangulatis, quacunque etiam causa tales facti fuerint, efficaciter subvenire in pedibus præsertim applicatæ poterint. A fumo v. gr. carbonum, cespitum pituminosorum in cubiculo ante clauso, pene suffocatis, qualia exempla legas licet apud Langium in Epist. Platerum Lib. I. Obser. f. 16. Jacchinum in L. IX. Rhas. Com. 41. Amat. Lusit. C. VII. Cur. 33. Panarol. Obs. Med. Pent. I. Obs. 19. Schenck. Obs. Lib. II. Obs. 19. aliosque. A vapore musti & cerevisiæ recentis in cellis. Vid. W. Hæferum H. M. L. I. de Capit. Affect. J. A. Schmitz Med. Prax. p. 204. Borell. C. 2. obs. 4. Zacutum Lusit. de Princip. Med. Hist. Lib. I. obs. 10. f. 10. a fumo ex domorum incendiis vid. Borellus l. c. Zwinger. Theat. V. H. p. 510. a fumo fornacis vid. Hildan. C. IV. Obs. II. In metalli fodinis vid. Matthes. Sarept. Cap. XII. Libavius vol. I. rer. singul. Tr. I. de Nat. Metal. G. Agricola de Rer. Metal. Lib. VI. p. m. 172. Horstius P. II. Obs. 28. Marcellus Donatus L. II. H. M. Cap. VI. Solenand. Consil. Med. VI. Sect. V. Camerar. Op. Subcis. Cap. I. c. 27. a flore calcis vid. Tulpius Obs. Lib. III. cap. 41. a pulvere a vento impetuosius impulso v. Platerus Obs. Lib. I. p. 185. & 172. De vaporibus ex cloacis subterraneis diutius occlusis, cryptis, sentinis & puteis exhalantibus vid. Panarol. Pent. I. Obs. 19. Sennert. Prax. Lib. II. P. III. Cap. 3. Hochsteter. Dec. III. Obs. 8. A rebus putrescentibus v. Oribasius Lib. V. Cap. II. P. Zachias Lib. V. tit. 2. qv. II. & Tem. III. Caus. 19. & 44. Si enim concussionibus & frictionibus uti assolent reficere hos in aërem liberum & puriorem & temperatiorem deportatos, possunt, multo citius & efficacius ligaturis dolorificis id præstabunt. Pariter laqueo suffocatis & adhuc calentibus & aqua submersis & tanquam mortui jacentibus applicatis ligaturis fortioribus subindeque repetitis potenter succurrere opem laturi poterunt. Confirmat hoc Sachsii experientia quam

in

in Ampelogr. Lib. II. c. 3. allegat hos pronos in terra extensos & plantis pedum baculo fortiter percussos revivixisse. Idem de fulmine tactis vel attonitis, si scilicet spirituum influxus notabiliter cessans deprehendatur, dicendum & laudandum venit. Per se intelligitur, quod in his læsarum partium habenda sit ratio, nempe v. gr. non conveniunt in iis applicatæ, quæ fervore & impetu fulminis ambustæ & læsæ sunt. In longe pluribus morbis iis denique præcipue, in quibus spiritus animales laborant aut afficiuntur, in morbis venenatis malignis, morbo hungarico, variolis, petechiis & similibus & in quibus alias vesicatoria, frictiones, fonticuli commendantur, ligaturæ dolorificæ locum quoque inveniunt, eum præsertim in finem, ut aura & materia maligna & venenosa potenter revellatur.

§. VII.

Magis adhuc propemodum necessariæ sunt, quia in mora periculum maximum positum est, in sanguinis præternaturali effluxu, quem hæmorrhagiam vocant, eoque enormi, partibus sauciatis applicatæ ligaturæ dolorificæ, aliterque, dirigunt, aut intercipiunt atque avertunt. Non magis prudentum quorundam quam populari observatione constat, ad diversionem materiæ catarrhosæ potissimum fluentis in duobus manus digitis admodum fortes ligaturas facere, in quo certissimum præstant effectum constringendo, atque ulteriorem cohibent hæmorrhagiam maxime verendam & in qua maximum malum cunctatio est, quæ exspectando felicem alias successum, pessime præsentia negligit, actuali auxilio obturando, vulneris parietes ad se invicem adducendo vasaque majora læsa coarctando, etiam si illa arteriæ sint, quæ sanguinem transmittunt, conf. Job. a Meckern p. m. 163. seq. atque derivando & ad alias partes revellendo & Th. Bartholinus, qui V. Epist. Med. Cent. III. Epist. 54. in anevrismate adhuc recenti potius & ubi applicari commode possunt, (nam in collo v. gr. ut per se patet locum non inveniret) per actam & dolorifi-

cam ligaturam, quam expulſivam vocat Marque Chirurg. Traitèe des bandages Chap. XVI, & deſcriptam atque delineatam dedit, miraculi inſtar patentem hiantemque arteriam apprime conſtrictam atque periculum vitæ exemptum expertus eſt & Aurelius Severinus qui itidem in arteria præſecta omne verendum vinculis in promptu ſuſtulit, vid. Chirurg. Effic. Part. II. Angiol. iisque pariter felici cum ſucceſſu Morellum uſum fuiſſe, Zadicus Gallicus Med. An. I. Obſ. III. menſ. Januario teſtatur. Ipſo nimirum tumori applicantur & quibus verſus truncum ita aſcenditur, ut paulatim laxiores fiant ligaturæ ut ſcilicet arteriæ pars ſuperior comprimatur, ne ulterius dilatari rumpique queat, ſanguinisque impetus a corde propulſus compeſcatur. Exinde haud obſcure aut non dubitanter inferendum, eas etiam in varicibus, quos aliqui anevriſma venarum vocant, apprime quadrare. Quemadmodum enim in levioribus caſibus & ad paucum tantum temporis ſpatium ſolius digiti admotione vel argenteæ monetæ impoſitione vulnera occludi & hæmorrhagiæ inhiberi a chirurgis ſolent, ita in gravioribus ligaturæ fortius & ad doloris etiam usque perceptionem conſtrictæ commodiusque diutius paulo ſic relictæ omnium neceſſariæ erunt, ne cum ſanguine, pretioſiſſimo vitæ theſauro, ſimul ipſa vita pereat. Pariter ſi citra læſionem externe factam, cruor magno impetu effertur periculumque ſubeſt ne hominem exinanitione exanimet itidem immoderatus hic ſanguinis effluxus certius omnium his remediis externis ligatis fortiter brachiis, cruribus pedibusque reprimitur. His ſi non ſiſti poteſt certe magna ſanguinis intemperies junctis ſimul internis medicamentis huic appropriatis corrigenda. Sic in vulgus notiſſimum eſt, narium hæmorrhagias forti narium compreſſione ex tempore ſiſti. Aliquoties easdem enormes aliis remediis non ſufficientibus ligaturis per ligamenta ex panni extremitatibus abſciſſa mediantibus quibus, tibialia alias commoda ſtrictura firmari ſolent intercilia arctius ligata & ad-

ſtricta

ſtricta ex tempore & feliciter compeſcuit Præſes. Imo experientia docet, ſi digitus ſaltem manus filamento arctius ligetur, aut ſaltem vehementius incurvetur minimus (digitus) hæmorrhagiam ſiſti. De quali etiam effectu Rondeletius Method. Curand. morb. cap. LXIII. p. 281. Crato in Epiſtol. & Conſil. Lib. V. Conſ. 7. H. G. Fabric. Hild. Obſ. Cent. II. Obſ. 15. teſtantur. Jam Hippocrates Lib. II. Sect. V. de Morb. Mulierum hoc remedii genus atque poſt eum Galenus vid Lib. ad Glauc. c. 14. ut & Aetius de Re. Med. Lib. XIV. c. 25. & Avicenna vid. Cap. de Ligaturis, nec non Paulus Aegineta Lib. III. c. 63. Zacutus Luſitanus Prax. Hiſt. Lib. III. c. II. Fonſeca Tom. I. Conſult. 55. propoſuerunt & laudibus multis extulerunt. Chryſippus Cnidius memorante Galeno de Venæ Sect. homini cuidam ſanguini ſpuenti tales applicavit, quod conſultius duxit quam ſi ſanguis e vena miſſus fuiſſet: Statim quoque apparet ratio, nam ſanguinis motum verſus pulmones certiſſime prohibent. Siquidem effectus ratio horum auxiliorum ac rerum in his caſibus conſiſtit propemodum omnis, quod ex toto corpore venientem per venas ſanguinem per venam cavam ad cor ejusque ventriculum dextrum per aliquod temporis momentum detineat atque impediat, ne tam cito ad ſuum hoc punctum revertere poſſit, per quam remoram mora conceditur ne ſanguis rurſus per arterias concitato motu ad partes perveniat. Notanda hic præſertim ac memoratu digna obſervatio eſt, quæ apud Williſium in Pharmac. Rat. Part. I. Sect. III. Cap. II. invenitur de hæmorrhagia minime ſanguinis copiæ aut æſtui præternaturali & furibundo ſed ſpaſmodicæ cuidam ac intervallatæ arteriarum contractioni adſcripta, quam venæ ſectiones repetitæ ac multa aſſumta medicamenta aliaque in uſum ducta remedia deteriorem reddiderunt, adeo ut res deſperata videretur, in meliorem vero ſtatum & ſaluberrimum ligaturæ tales tandem applicatæ adhibitis ſimul interne paucis doſibus pulveris cujusdam abſorbentis ac antiſpaſmo-

tiſpaſmodici per Dei gratiam perduxerunt. Ea præ aliis in his læſionibus ſimul habenda ratio eſt, ut ſenſim ſanguinis effrenus effluxus per ligaturas injectas cohibeatur, ne ſubſequens inflammatio major reddatur puriſque copioſior generatio aliaque difficilia ſymptomata magnum negotium deinceps pariant; neque nimis cito ligatura ſolvatur, ne exortum malum recrudeſcat. In effreno pariter menſium & lochiorum fluxu id multipli experientia hodie eſt ſtabilitum, comprobatum atque commendatum, ut nimirum laquei ſupra genua, femora & cubitos injiciantur fortiusque & ſæpius iisdem conſtringantur. His itaque poſitis atque evictis non eſt, cur de harum utilitate dubitemus aut obloquentes Aſclepiadem citante Scribonio Largo. vid. Augenii Ferrerii Caſtigationes c. 27. & Alex. Benettum in Theat. Tabid. Exercit. 26. audiamus. Rurſum quod forte miraberis in contrariis his morbis non raro ſimilem effectum edunt ligaturæ dolorificæ, ut in obſtructionibus menſium & lochiorum ſuppreſſione cruribus & ſuris utpote inferioribus partibus injunctæ, quorum naturalem effluxum ut frictiones, ſcarificationes balnea ita & ligaturæ ejusmodi juvant cutem enim rarefaciunt, poros & glandulas ſubcutaneas aperiunt, torpidum ſanguinem fluxiliorem reddunt atque majorem effluxum excitant, ſicque menſes commode invitant atque reſtituunt.

§. VIII.

Proficuæ præterea admodum ſunt ligaturæ dolorificæ in tumoribus præcipue pedum œdematoſis, utpote mollibus, laxioribus juſto & indolentibus aut avertendis aut curandis, quoniam ſtagnans ſituque peccans ſerum vapeſcens atque ſpiſſeſcens varioque ſic modo in corruptelam abiens, namque & hic vitium capiunt, ni moveantur aquæ vitales microcoſmicæ, circulum debitum vitalem moratur aut penitus ſiſtit, & elater & tonus partium fibrarum nimirum motricium muſculoſarum & cutaneorum ſtaminum labefactatur debilitatur & deſtruitur, laxatur

nimis

nimis & extenditur, atque ipsi animales spiritus circulandis concitandis & promovendis fluidis humoribus dicati non amplius præstant illud, quod debent præstare & secundum veterum locutionem expultrix facultas læditur, unde singulæ partes & fluidæ & solidæ vitali motu privantur & sic cachecticus & hydropicus status inducitur, atque quasi enervatio (ut ita loquamur) quædam accidit, adeo, ut, etsi postea ab imbibito humore liberentur ad naturalem statum difficile & sero tamen aut nunquam, non raro redeant. Necessarium hoc remediorum genus eo magis adhuc est quia hæ extremæ & infimæ corporis humani partes omnium remotissimæ sunt a fonte centroque corde, humorum vitalium, caloris & vitæ ut motus major & efficacior ibi procuretur, unde etiam provida Parens Natura in moræ jugis & interruptæ circulationis compensationem, ne stagnatio tam facile fieret, pedibus motum crebriorem ambulando, ut brachiis & manibus laborando optimo consilio injunxit atque præcepit: impulsu certe & exercitatione majori & validiore maxime opus habent, ut sursum versusq; suum centrum per eas sanguis moveatur motu hoc ipsis naturæ legibus repugnante, quippe omne grave sponte sua tendit suoque motu deorsum unde ex subsistenteque aut lentius moto sanguine, serum ordinarie e vasis per poros exit atque a grumo secedit, quod ex sua natura lentior atque minus ad movendum aptus & frigidus sic dictus humor est, sique salsus asper & acris simul aut deinceps talis stagnatione evadit, intimius findendo poros fixiorem sibi parat sedem & quantitate & qualitate in commune vitium sic laborantibus, atque si intemperatum adhuc magis redditum est, facile rumpit vasa. Hinc & toto die videmus, quod homines sedentariam aut mollem vitam agentes & præcipue fœminæ atque ætate consistente vel appetente senili constituti, temperamentique humidi & frigidi aut habitu corporis succulento præditi, obesi, plethorici, potui largiori aquæ, vini, cerevisiæ, spiritus vini indulgentes, lectica portatili aut

curru

curru utentes, neque ambulando pedes exercentes ex pedibus & eorum tumoribus œdematosis, arthritide, podagra, inflammationibus & tandem exulcerationibus, aliisque corruptionibus ad gangrænam facile abeuntibus, nisi provideque præcaveantur, quæ mala præcipue Lipsiæ familiaria sunt, laborant; secus ejusmodi vitia iis, qui sæpius obambulant cursuque quotidiano frequenter pedes exercent accidunt, ligaturæ vero dolorificæ, ut externa remedia, impellunt, movent & promovent sursum, ab inferioribus ad superiora versus, adacta utpote qui seri ad superiora refluxus admodum difficilis est, ut internis dein purgantibus & diureticis maxime per excretoria sua organa ex corpore commode proscribi possint, simulque elaterem fibrarum juvant & restituunt, & fibris notabiliter sic constrictis spiritus animales fibras nerveas animant, ut promptius expediantur subsistentes particulæ lentiores. Redditur sic tonus deficiens & vis constrictiva cessans hactenus distensioni & laxitati velificans, quo & occasio nascitur & stimulus tumorem imminuendo & stasin non modo ulcera imminentia sed & ipsam gangrænam, quæ presso quasi pede ex facili succedit avertendi; Qua de re prognosticon Hippocratis VI. Aph. VIII. verissimum manet, quod aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facile sanentur; Nec dubium est, quin & particulæ viscidæ & crassæ situque jam corruptæ valide resolvantur & dividantur atque ad amotionem præparentur. Attamen id scire licet, convenire has ligaturas applicatas in hydrope atque tumoribus pedum œdematosis in principio magis ac malo nondum adeo confirmato inveteratoque ac materia adhuc molli mobilique existente nondum viscida adeo gelatinosaque facta aut etiam acri atque corrupta. Hæc si minus juvent nihil proficient aut valebunt alia remedia applicari solita etiam optima: Quoniam circa nocturnum tempus hi tumores serosi augmentum capere ordinario assolent, & tunc fibrarum motricium vis, elater ac tonus remissior, languidior & laxior

factus

factus est, consultius ducendum venit, ut circa hoc tempus hæ ligaturæ expulsivæ in usum trahantur, nam motus hac specie repetita sæpius partium fibræ roborantur simul atque firmantur. Nemini ideo scrupulus moveatur, ac si per ligaturas hoc modo huncque in finem applicatas perperam repulsio humorum serosorum & excrementorum in corpus & in abdomen fieret, atque satius consultiusque esse eundem in pedibus relinquere: certe namque comparet asserti nostri veritas, experientia juxta ac ratione fundata: Præter illam enim quam firmam esse omnino quivis peritus annuet dogmaticus, & intelligentem Medicum non fugiunt hæ rationes quædam, fieri nimirum criticum in morem œdematosos pedum tumores sive tendere deorsum & quodvis fluidum in corpore subsistens & vitalem motum exuens perdere suum usum, sanitati & vitæ nocumentum & periculum inferre adeoque esse omni debito modo ejusdem motum & expulsionem procurandam, auferendo quietem, corrigendo stasin impediendamque ulteriorem corruptionem, aliudque esse repellere indecenter, aliud conformiter & naturæ legibus adæquate, partique affectæ materiæ contentæ fluidæ, quietæ convenienter atque deinceps per interna his juncta & subsequentia medicamenta utilia & apta provocare foras excretionem. Providi enim Medici circa hanc etiam rem Hippocratis monitum curæ cordique habeant inquientis Lib. de Medico Cap. III. t. 9. Quæ vero offeruntur, omnia considerare oportet, ut conferant, maxime si ægrotæ parti adhibebuntur, talia autem sunt ligamenta & medicamenta. Utrorumque enim usus opportunus, itemque negligentia magnam differentiam habet; Hac de re, experientia propria haud simplici vici convicti, ligaturas debite sic adhibitas aliis remediis externis alias satis validis adeoque non contemnendis furfuribus & arena, calidis balneis laconicis, æstuariis & sudatoriis vaporosis, fotibus, suffitibus

longe anteferendas esse. Si fidos adhuc hujus rei testes Authores desideres modo exhibeamus inter multos quosdam, qui sunto ex veteribus quidem Græcis atque Latinis Galenus Lib. II. de Art. cur ad Glauc. cap. II. qui sequentem in modum scribit: Si vero in aliquo ex membris externis tale fuerit œdema, incipiendo ligaturam in imis partibus finire oportet, in altioribus ejectionem & compressionem & universam distributionem faciendo velut in fracturis. Curationis enim intentio aut indicatio in ejusmodi affectibus mixta est, una quidem, ut earum substantiæ aliquid dissolvatur, alia vero ut aliquid congregetur ac restringatur. Sequentia addit: Ego in diuturno œdemate, ubi prius partem oleo illinissem, deinde spongiam ex lixivio apposuissem, atque vehementius strixissem, affectum perfecte curatum vidi, ad discutiendum & incidendum: id quod in omnibus fere diuturnis affectibus probatum haberi non ignoramus. Succedant alii; ut Aetius qui Tetrabibl. III. Serm. II. c. XXXI. p. m. 589. de hydropis cura latius tractans, sequentia quoque profert: Amplius autem ventrem tum intestina ligamentis adstringant, itidemque omnem cutis coërcent tumorem: Juxta hunc præsertim Celsi egregia & nitida scripta evolvenda, in quibus Lib. III. Cap. XXI. de Re Med. p. m. 165. legitur: si id morbi genus est, quo in partem multa aqua contrahitur, oportet malagma habere impositum, quod digerat, idque ipsum superimposito triplici panno, fascia, non nimium tamen vehementer adstringere, quod a Tharria profectum servatum esse a pluribus video. Ex recentioribus, qui hujus rei testimonia afferunt, ex quibus notissimi sunt, & primo quidem loco nominandus omni fide dignus Petrus Forestus, qui Observat. XXXVI. Lib. XIX. p. m. 255. de monacho quodam Franciscano refert, quod cum crus ejus sinistrum œdematosum neque fomentis neque linimentis in totum detumesceret, sola deligatione fortiori

fortiori per ligaturas præter omnium exſpectationem ex aſſe curatus fuerit. Felix dein Platerus adducendus, vid. ejusd. Tom. III. Prax. p. 273. ubi & primo quidem loco ita ſcribit: Faſciis vincire & ſtringere locum ubi œdema enaſcitur, admodum ipſius incrementum prohibet, & ſecundo p. 304. ubi in intumeſcentia pedum diffuſa, alia ab ea, quam tumorem œdematoſum vocavit, molliori a ſeroſo, crudoque ſucco prognata, nominatim in hydrope curanda occupatur. Topica quod attinet, addit, ejusmodi humiditates, unde pedes intumeſcunt, etiam ab initio repellendæ erunt &c. Inprimis autem, pergit, faſciæ hic aliquid ſingulare efficient, intumeſcentiamque hanc continebunt, tandemque ne amplius redeat, prohibebunt, ſi indies faſcia longa palmum lata, ab imo pedis incipiendo, & ad genua usque procedendo, pedes ſtricte mane, dum nondum adeo, atque interdiu fieri ſolet, intumuerunt, obvolvantur, ſicque donec iterum decumbant, vel etiam dies noctesque retineantur, quod & ocrea molli, arcte per ſuturas in longum pedi adſtricta, aliisve artibus præſtari poſſit. Atque Sennertus, qui Prax. l. 3. p. 6. ſ. 2. c. 3. p. 743. cruribus tumidis & inflatis hydropicis commendat, ut ſpongia appropriato decocto vel lixivio, vel aqua maceretur, iterumque exſiccetur, & fortiter cum faſciis circa crura ligetur, donec paululum detumeant.

§. IX.

Sine dubio etiam in aliis tumoribus hydropicis & œdematoſis atque partibus anaſarca tumefactis & abdomini ſcroto cum euphoria ſineq; periculi metu injici poſſent ligaturæ easque longe præferendas eſſe exiſtimandum ſcarificationibus, quas tamen efficaces & tutas pronunciant Hipp. L. de Itern. Affect. Cap. XXIV. T. 25. & Nicol. Maſſa Ep. XXI. p. 112. b. In gangliis item, nec non ſcrofulis & ſtrumis na-

 ſcenti-

ſcentibus abigendis, haud ſupervacaneus ligaturarum dolorificarum erit uſus, quoniam ſola & ſæpius repetita compreſſione & attactu fortiori per manus aut digitos facto, aut mediante fruſto impoſito plumbi, aut paulo fortiori frictione & ſimplici ſalivæ ilinitione hi præternaturales tumores ſubinde auferuntur. Haud dubitanter hic inferimus, quod & in catarrhis gravioribus & pertinacioribus in rhevmatiſmis locum quoque inveniant, quoniam potenter revellunt aliorſumque dirigunt, aut intercipiunt atque avertunt. Per popularem obſervationem conſtat, ad diverſionem materiæ catarrhoſæ potiſſimum fluentis in duobus manus digitis admodum fortes ligaturas facere. Plinius ſcribit catarrhos omnes per fortiſſimam ope ligamentorum conſtrictionem pollicis pedis a capite poſſe averti. Hinc & in fluore albo mulierum in ſuperioribus partibus inſtitutæ revellere queunt: Conducibilia hæc auxilia admodum ſunt, quando materia peccans arthritica, ſcabioſa, purpuracea ex exterioribus corporis partibus ad interiora convertitur atque viſceribus labem certiſſime nocituram & peſſima & periculoſa ſymptomata imprimit ac infert. Datur enim converſio multiplex in natura humana atque per varia media a partibus internis ad externa ac vice verſa ab externis ad interna, uti ſæpiſſime malo quidem ſæpiſſime omine, poſt hæmorrhagias, diarrhæas aut purgantia asſumta in corporis habitu effloreſcentiæ cutaneæ evaneſcunt &c.

§. X.

Aeque merum ſerum laudabile interdum a venæ ſectione, quando ſunt vaſa lymphatica læſa, per longum temporis intervallum e vulnere aut alio modo ruptis horum vaſorum ſubtilibus membranulis, manat, aut dilatatis illis præter modum hæret atque lymphæ circulus varie turbatur, quibus in caſibus indicationi ſatisfacient juxta exſtillan-

ſtillantis ſeri per ſiccantia adjecta remedia exſiccationem ligaturæ etiam fortius conſtrictæ, licet ſine dolore haud applicari poſſint.

§. XI.

Sequitur jam ut harum uſum pro atrophia vel aridura partium laborantibus ac marceſcentibus atque paralyticis membris pro eo ac par eſt laudemus & commendemus. Per eas nimirum, præſertim ſi a ſuperioribus partibus ad inferiores verſus adiguntur, humor nutritius propter calorem, qui exinde augetur, partes nutriendas dilatantem porosque aperientem atque humores & ipſos animales ſpiritus ad acceſſum invitantem propterque dolorem, cujus vi natura parti laboranti & preſſæ quandoque ſuccurrere ſtudet ſanguinemque & cum eo particulas alibiles & nutritias eo i. e. ad exteriora prolicit & mittit veluti auxiliares copias, & quaſi attrahit. Tonus enim, robur, debita partium ſtrictura, vis motrix & elaſtica atque expandens expandendosque ſuccos in partium poros adigens & quaſi incuneans requiſita ad nutritionem & ad ſoliditatem partium conciliandam neceſſaria ſunt. Teſtimonium hujus rei ſi requiras tibi inter multa Joh. Jeſſenii vel unicum ſufficere poterit, qui in Inſtit. Chirurg. p. 45. ſcribit: quod dextro crure ex atrophia laborante in ſiniſtro a manu ad axillam progreſſu facto ligaturas fortiores compreſſorias induxerit, atque in integrum has partes corruptas reſtituerit. In hanc rem notabile eſt, flagellis & ferulis ad bonam habitudinem macilentis inducendam veteres uſos fuiſſe, quibus graciles partes ad modicam usque intumeſcentiam & incaleſcentiam flagellabant referente Galeno Method. XXIV. Cap. XVI.

§. XII.

Ut nutritionem imminutam ſic & quæ exinde procedunt mala juvant ac emendant, ita etiam depravatæ & in

forma vitiatæ & auctæ præter naturam profpiciunt, corrigunt & exftirpant ligaturæ dolorificæ; fcilicet loquimur hic de rhachitide, excrefcentiis variis in variis partibus, fronte, nafo, manibus, pedibusque &c. fixis & pendulis acrochordonibus, verrucis, myrmeciis, clavis imo quandoque marifcis & ficubus, ateromatibus, fteatomatibus, ftrumis, fcrofulis, polypis narium (fi nempe in exterioribus radices fixas egerint) cornubus, quorum unum dimidii pedis longitudine pollicisque craffitie exftirpatum effe Cabrolius refert. Obf. Anat. XI. quorum radices infixæ firmiter funiculis ex ferico filo aut cannabino vel pilis equinis pro ratione exftirpandorum confectis fortiffime ftringuntur conftrictæque fic diu relinquuntur, usque dum denegata & inhibita nutritione marcefcant & decidant.

§. XIII.

Sed plures alii morbi occurrunt, in quibus ligaturæ dolorificæ optime utiliter fe gerunt, ex quibus jam indicabimus dyfpnoeam, afthma illudque præfertim convulfivum atque in ipfo paroxyfmo conftitutum, incubum catarrhum fuffocativum ventris fluxiones ut vomitus eosque cruentos, atque choleram, dyfenteriam (in qua ad partes fuperiores injectas validas ligaturas commendat Hermann. Conringius in Difp. de dyfenteria §. 48.) diarrhœam, colicam paffionem, ventriculi inflammationem, qui peffimi affectus hi artubus brachiis fupra genu & femoribus circa ingven pedibusque ligaturis dolorificis applicatis quidem mitigari poffunt revulfionis fcopo indicato ac obfervato: In his morborum generibus hæc auxilia apud Abubeter Rhazes ad Manfor. de Re Medic. Lib. IX. Cap. LXII. & Oribafium de Morb. Cur. Lib. III. cap. XI. commendata leges. Eundem in finem furioforum pedes fortiffime ligantur. Ebriis qui his propemodum fimiles funt (unde Seneca convenienter ebrietatem furorem voluntarium nominat)

minat) & revellendi & excitandi causa cum fructu applicantur. Ut non leviter in fœminis gravidis abortus terrere solet: ita ligaturæ fortiores partium superiorum ob interceptionem fluxionis ad uterum non parum in eo quoque prodesse possunt. In his hucusque recensitis humani Corporis morbis ligaturarum dolorificarum extremis applicatarum usus certior est, quam longe aliis multis in quibus tamen a practicis hinc inde laudantur. Sic v. g. pro cataracta avertenda frustranea esse asseverantibus licet aliis omnino potius affirmemus, uti etiam hæc & similia remediorum in hoc affectu ab universis Medicorum Collegiis Parisiensi, Monspeliensi, Pisano, Monacensi frustra adhibita fuisse legitur apud O Grems in Arb. Hom. integræ & ruin. Lib. II. c. I. §. IV.

§. XIV.

Quando in his paragraphis ligaturas quidem dolorificas nuncupavimus & commendavimus animus atque intentio nostra non alia esse potuit, quam ut & in his rebus ut ubique atque in omnibus aliis sit modus habendus, ne ex salutari alias remedio carnificina fiat, Siculis tormentis accensenda. Quare etiam chirurgi talia applicantes caveant, nec crudeles se gerant, quod Henricus ab Heers vid. Ejusd. Observ. Med. 13. aliquando vidit, ac exinde tanto terrore horroreque tactus fuit, ut per totam suam vitam ligaturarum harum usum abominationi habuerit: nimirum offendebat aliquando adolescentem quendam ex philtro ut credebatur incoercibili sanguinis per nares, aures, os, genitalia & alvum effusione correptum, a chirurgis causam hæmorrhagiæ non magis quam modum ligaturas applicandi intelligentibus in brachiis, cruribus, digitis manuum & pedum validissime ligaturis constrictum adeoque equuleo quasi contortum, ut ejulatus miserandum in modum ederet,

lachry-

lachrymasque confeſtim effunderet, ſummeque precibus contenderet, ut ipſi ſine tortura mori permitterent. Neque diutius ſic conſtrictæ in partibus relinquantur, ſed iterum ſubinde relaxentur & per vices repetantur, ne vaſis & nervis præter modum coarctatis circulatione humorum libera prohibita multæ moleſtiæ imo peſſima ſymptomata inferantur, inquietudo, virium debilitas atque adeo animi deliquium, vigiliæ involuntariæ, inflammatio, exulceratio, febris, partis marceſcentia, vaſorum ſciſſio, gangræna ipſeque ſphacelus.

§. XV.

Alia quoque adhuc monenda eſſent v. gr. quod utilius & efficacius ligaturæ dolorificæ afferantur poſt totius corporis evacuationem aliaque debito modo præparationem atque univerſalium ſic dictorum ut & alterantium cuivis morbo convenientium medicamentorum exhibitionem atque ut ea pro re nata ulterius continuentur, & quod generalia quædam adhuc circa exhibendi modum obſervanda ſint. Sic videndum quorſum concitatior humorum impetus feratur; ſi enim ſurſum magis vergant, inferiora, ſi deorſum ruant vehementius, ſuperiora, fortius & ſæpius conſtringantur; Quod ſi æquo corporis humani hoſtes morbi ingruant marte, ambobus quoque æqualiter proſpicere convenit. Convenientius tamen eſt vitioſorum humorum colluviem verſus inferiora & ignobiliores magis, quam ſuperiores & nobiliores partes revulſionis hoc ſtimulo incitare. Senſim quoque hac conſtrictione procedatur, ut ſi modo morbi inducias patiantur, ut primum quidem minimum poſtea magis ligaturæ conſtringantur.

Sed hæc hac vice ſatis eſſe poſſunt.

S. D. G.

III. DIS-

III.

DISSERTATIO DE MORBORUM PER MANUUM ATTRECTATUM CURATIONE.

PROOEMIUM.

Quoniam rerum naturalium causas cognitione nostra vix, ac ne vix quidem assequi possumus, nisi observationes, & experimenta prius monstraverint viam, ac quasi prætulerint facem, intelligentes Medici, sibi, suæque arti, ægrotisque suis optime consulunt, qui artem suam salutarem, medicinam per alias latissime fusam scientias, ratione pariter, ac experientia veris suis veluti principiis suffulciunt. Etenim evenit sæpissime, quod cum effectibus suis plerumque causas metiri, & æstimare velint, ut in illis reddendis, si præsertim rationibus genuinis nec satis instructi sint, gravissime errent, propterea quod isti ex alio plane fonte non raro atque ipsis visum est promanare soleant; quemadmodum e contrario ratio sine experientia fallit non satis cautos, quia & facile possunt dari causæ, quæ rebus penitius expensis longissime ab effectibus abesse solent; quare qui ambo conjungunt, felicius procedunt, atque ideo præcipue illi laudandi, qui vires remediorum non tam specificis, & imaginariis interdum facultatibus quam mechanicis, & ex sua natura petitis suarum particularum affectionibus metiuntur, & pro ratione, proque varietate causarum morborum effectricium, aliarumque circumstantiarum in hunc censum venientium varias quoque curandi rationes, & modum instituunt, atque secundum recta

artis præcepta medicinam exercent; isti vero vituperandi sunt, qui vel hoc, alteroque fulcro, vel utrisque simul posthabitis, aut vanas fallaciæque plenas, aut superstitiosas morborum curationes susceperunt, eoque pessimo medio malam suspicionem arti adeo salutari, atque nobilissimæ contraxerunt, in quem censum præcipue veniunt ii, qui etiam periculosissimorum, & contumacissimorum morborum sanationem absque ullis in auxilium vocatis remediis tentant, & de perfectis iis maxime gloriantur, sed vel verbis, obscuro murmure prolatis, vel characteribus, hinc inde aut adscriptis aut appensis, aut amuletis applicatis, aut incantamentis, signisque variis, manibus pedibusque efformatis, & in transplantationibus, aliisque similibus magicis, magnam vim, ac efficaciam ponunt. Nemo autem curationem morborum per manuum attrectatum aut vanam, ac inutilem, aut superstitiosam esse credat, aut dissertationem præsentem plus nominis, quam operis habere credat, cum ejusdem efficaciam ratione, & experientia esse fundatam in sequentibus paragraphis ibimus stabilitum. Quam brevem tractationem ideo non inanem, prorsus, & supervacaneam cognoscendis commodis, iisque tuto, ac jucunde conferendis operam quandam impendere arbitramur. Quamvis non manu (ut ajunt) fictam eam B. L. reperiet; nam breviter, & plane magis ad hanc rem propositam, quam prolixe, ac ornate scribere voluimus.

§. I.

MAnus, pars ea admodum formosa, atque amica extremorum humani corporis una ex carpo, & metacarpo & digitis composita organon hominis utilissimum, laboriosissimum, expeditissimum comparandis omnibus laboribus, actionibus, & muniis, quæ humana industria excogitavit, & injunxit, instituendis, ac obeundis aptissimum est; Unde & Aristoteli vid. Lib. IV. de P. A. n. cap. X. & Galeno de Usu Part. instrumentum instrumentorum dicta fuit. Profecto si propius rem aliqua saltim æstimatione per-

perpendamus sapientissimi Auctoris nostri ac Parentis Dei perfectissimas manus, rerum omnium effectrices, mirari ac venerari statim jubemur. Etenim homo natus nudus, atque inermis, inops, alienæque opis egens, nec quicquam sine doctrina sibi succurrere potest, cum cætera animalia mox ab ortu naturam, instinctumque suum sentiunt, necessitates quærunt suas, & domicilia. Quam misera itaque hominis conditio esset, cum omnibus indigeat, nisi sapientissima Divina Mens in fragilitatis, & inopiæ subsidium rectam rationem, manusque rerum omnium operatrices dedisset, quibus illa quidem omnia utilia, & necessaria eligat, discernat, disponat, dirigat; his præparet, efficiat, ac contra irruentes injurias defendat. Nostrum nam forum spectantibus nobis, non omnes illas manuales operationes, quæ in medicina, & chirurgia ad vitæ, salutisque usum comparatæ occurrunt, commemorare, & concelebrare certum, ac constitutum est, sed illas tantum manuum applicationes explicandas apud animum decrevimus, quæ per impositionem, & contrectationem factam perficiuntur. Loquuntur de ea Theologi, loquuntur quoque Jure Consulti, nec Philosophi de ea silent, sed singuli de manuum impositione, ejusque significatione atque effectibus varia tradunt. Jure idcirco meritoque Medici quoque habent, per quæ manuum impositionem, ejusque commoda, & efficaciam extollant. Deastris gentiles olim manum quoque consecrabant, imo singulis digitorum singulares Deos, Deasque præesse superstitiose credebant. Apud Ægyptios Vossio teste de Physiol. Christ. & Theol. Gentil. pollex Veneri, index Marti, medius Saturno, annularis Soli, auricularis Mercurio erant sacrati; Omnes Minervæ alii gentilium consecratos esse volebant, quia vel manu hastam vibrans penetrabile monstrat acumen, vel quod iisdem omne genus laboris, & industriæ exerceatur. Potiori jure totam manum cum digitis sibi Æsculapius vindicat. Certe in medicina, arte nostra maxime salutari, manus instrumentum

perquam ſalutare habetur, per quod vel ſola manuum impoſitione, aut attrectatu, aut percuſſione quadam, qua fibrillæ papillares nerveæ in cutem terminatæ, & ſpiritus in iisdem animales commoventur, ſecundam tuemur valetudinem, vel adverſam depulſis morborum ſeminibus, atque principiis corrigimus, & reparamus, converſumque ſuccorum vitalium in orbem itum, reditumque motis averſis, ac eliminatis, qui illum conturbabant cauſis inſtauramus, prout inter veteres pariter, ac recentiores abunde conſtat.

§. II.

Scilicet ut manum huic tractationi admoveamus, pars hæc corporis vitalis vitalitate quadam gaudens, effectibusque ſingulis, quæ a vitalitate ſine intermiſſione procedunt, calore, tranſpiratione & blando motu multifarias operationes, atque effectus, eoſque quidem faciles, utiliſſimos, & maxime ſalutares etiam quæ ad artem noſtram ſalutarem, medicinam ſpectant, perficere poteſt, atque remedia egregia, eaque potentiſſima pariter, ac jucunda, domeſtica, ac cuivis propria, atque connata, facileque ideo parabilia, pauperibus æque ac locupletibus communia, & libera omni tempore, omni loco, omni ferme occaſione, omnibus omnis ætatis, ſexus, temperamenti omniſque conditionis hominibus, cita, tuta, ac jucunda, pro lubituque accommodanda, ſimulque moderanda afferre.

§. III.

Operantur nimirum (ut explicatius paulo hac de re loquamur) ſic manus impoſitæ, blandeque plus minuſque prementes, & contrectantes ſive propriæ ſive alterius ſua beneficia & auxilia conferunt, vel impoſitione, ac attactu ſaltem, vel attrectatione, palpatione, digitorum modulatione, ac titillatione, aut preſſione, aut compreſſione paulo fortiori, aut percuſſione quadam, qua fibrillæ papillares nerveæ in cutem terminatæ, & ſpiritus in iisdem animales commoventur atque fomentatione, ſive amico natu-

ralique

ralique calore, & copiosissimis effluviis temperatis, & salubribus naturæ humanæ admodum congruis, familiaribus, atque assuetis, optimis, tenuibus, humidis, & calidis facile se in poros alterius insinuantibus, humidis, aëreis, & spirituosis elasticis, quæ dein in alterius corpore, non modo ad exteriora membra, sed & ad interiores partes per circulationem allata, & pertingentia, similem, blandum, temperatumque motum suscitare possunt, simulque ex eo ulterior, certiorque argumentatio valet; hunc naturalem calorem, hæc vitalia effluvia extus intusque poros partium expandere, hærentes, ac lentos humores expansiva sua virtute dividere, crassiores, subtilisare, dura, rigida & resistentia flexilia reddere, influxum humorum, & spirituum animalium invitare, transpirationem insensibilem augere, effrenatos motus componere &c. Hæ naturales manuum per impositionem factæ salutares operationes certæ, constitutæque modo nobis sint, quæque suasemet veritate tuentur, & per afferenda hanc in rem exempla clare patebunt. Hinc illa ut minus certa, & evidentia ab instituto abeunt, quæ de manuum impositionis supernaturalibus effectibus, aut peculiari per eam sanandi divino miraculosoque dono circumferuntur; quare ea aliorum judicio potius & explicationi deferimus, ut v. g. de dono cælitusque in sanctitatis præmium concesso quorundam Angliæ, Galliæ, & Hispaniæ Regum. vid. Valdesi de Dignitate Regum Hispaniæ ex Beutero juxta expellendi dæmones virtutem sanandi per miraculum strumas (atque Herculeum morbum) ut Regibus quondam Hungariæ eodem modo curandi regium morbum, Camerario & Happelio memorantibus Relat. Curios. P. I. p. 19., habetur. Michaël Medina Lib. de Recta in Deum Fide citante Fieno, memorat se Salmanticæ puerum quendam novisse, qui sanandi donum se habere, credebat, quique multos homines solo attactu gravissimis morbis liberabat. De Valentini Greatrakii Hiberni curationibus prodigiosis per manuum attactum liber

Ao. MDCLXVI. anglico idiomate eſt conſcriptus, cujus titulo addita viri hujus imago, hocque elogio ornata: Valentin Greatrakes Eſq. of Afane in y contry of Waterford the Kingdom of Irland ſamous for curing ſeveral diſcaſes aud diſtemperes bythe ſtroak of his handonly. Mira ſane ac ſtupenda, quæque propemodum fidem excedunt, de iſto viro medicata manu inſtructo narrantur; ſed hæc ſaltem innuentes lubenter acquieſcimus, neque ulterius explicamus, authoritatique Collegii Medici Londinenſis, Illuſtrique & omnis memoriæ Clariſſimo Boyleo, Viro alias in eruendis rebus naturalibus ſicut diligenti, ita acri, interpretem ſe præbenti non litem facere audemus, ſed in medio rem omnino relinquimus. Similia exempla Otto Tachenius in Diſſertatione Epiſtolica Ao. M DC LXXVI. de monacho quodam FranciſcanoBagnone, & Antonius Benivenius de Abdit. Rerum Cauſis Cap. XLV. de Dominico Piſcienſi itidem monacho recenſent. Recenſent autem itidem bini laudati Authores multa prodigioſa, quæ hi duo monachi per manuum impoſitionem ſeu attactum in pertinaciſſimis, atque deſperatis morbis perfecerunt. De alio quodam viro Ripis in Cimbria hoc dono prædito commemorat mira Pechlinus in Obſervat. Phyſico-Med. Lib. III. Obſ. XXXII. p. 490. ſeq. Quorumque Clariſſimorum Virorum fidem æque ſuſpectam reddere nolumus, aut exiſtimare eosdem confuſis digitis non manu (ut locutio proverbialis habetur) rem porrigiſſe. Interim ſi nobis liberum ſit hac de re aliquid adſerere, aut affirmandi quid neceſſitatem nobis occaſio imponeret, cum experientia fida nobis nondum probaverit, & impreſſionis, & ſuperſtitionis, & hominum fiduciæ, aut imaginationis, & perſuaſionis magnæ, ſive inſignis fiduciæ illius, ac ſpei, quam de remedio aliquo, ac amico atque accepto accepit patiens, ad promovendam & penitus alterandam auxilii efficaciam vi, (quæ ſane in multis maxima eſt) aut ægrotantium, vel ſollicitudine, vel ſpe agitatorum, credulitati atque quorum ſpiritus anima-

animales languidi ſunt, animusque demiſſus, in quos efficacius vis illa inſolens dominatur, potius quam calori, & effluviis balſamicis, & ſalutaribus ex manibus Regum exhalantibus, aut aliis modis adſcribere mallemus, cui etiam alioquin amuletorum, & plurimorum ſimilium efficaciam Medici rationales, quos morbos cum recta ratione curare decet, adſcribunt, atque conſiderantes, quantum valeat phantaſia ac imaginatio, imaginationis quoque hinc remedia laudant, atque commendant. Certius autem erraverit, qui forte vanæ vulgi perſuaſioni crederet, hanc virtutem ſanandi ſeptimo filio matris, quæ filiam antea non peperit ingenitam eſſe. Antiqua etiam & vulgaris eſt traditio, quod ſi bufo, talpa, aut etiam rana tamdiu in manu teneatur, donec moriatur, illam manum ea efficacia imbui, tactu has aliasque excreſcentias abigendi. In hanc cauſam, huncque effectum refertur, quod de Comitibus Habsburgicis vid. Felic. Fabri Hiſt. Suec. Lib. I. C. 15. habetur, quod ſi balbutientibus, vel impeditioris linguæ hominibus oſculum figerent, expeditam loquelam impertire poſſent. His ſimile eſt, quod Svetonius de Veſpaſiano ſequentibus ſcribit: E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratum a Serapide per quietem, reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum vix fides eſſet, vim ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per easdem curationes celebrem etiam fuiſſe Illuſtrem Balliorum in Gallia familiam, ex Scævolæ Sammerthanæ Elog. Lib. V. p. 142. ſeq. comparet, quæ, (uti perhibetur) quaſi occulta quadam vi, non modo varios corporis morbos ſanavit, ſed & adeo luxati atque fracta, nervosque & artus contuſos, vel quovis modo e ſede ſua emotos repoſuit, atque reſtituit. Quale donum præcipue de Henrico III. Magni cognomine

ne insignito multis literarum monumentis nominatus modo scriptor deprædicat. De similibus Strabo de Parianis maribus prodit, eos serpentum morsibus remedio esse, si eos continuo attigerint. Plinius scripsit Lib. XXVIII. C. 3. quod quorundam hominum tota corpora prosint, ut & de quibusdam familiis tradidit quæ sunt terrori serpentibus & tactu levabant percussos. Huc forte pertinere videtur Poëtarum fabula de Circe Solis filia, & ob magicam artem famosissima fœmina, quæ nocere hominibus, & prodesse tangendo potuit. Apud Circassios aniculas varios corporis morbos solo tactu sanare refert Tavernier Itiner. T. I. Lib. III. Cap. XII. Idem de Brasilianis Piso Hist. Nat. & Med. Lib. II. cap. V. atque de veteribus Ægyptiis Alpinus de Med. Ægypt. Lib. III. cap. XVIII. seq. scripserunt. Alia tam vetera quam recentiora exempla, quæ afferuntur, jam taceamus, & potius modo vere divinas manus Salvatoris nostri Domini Jesu Christi & dona divina discipulorum suorum, qui sub novi testamenti tempore, uti in Sacra Script. Marc. I. v. 41. c. V, 23. VI, 5. 32. seq. VIII, 23. & 25. XVI, 18. Luc. IV, 40. XIII, 13. XIV, 4. XXII, 51. Matth. VIII, 3. 15. IX, 29. legimus per manuum impositionem, contactum, aut apprehensionem morbos sanaverunt, pie veneramur & reverenter commemoramus atque deprædicamus.

§. IV.

Quibus indicatis ex Physiologia modo præsupponimus volas manuum præcipue præditas esse cute ordinario tenui, plana, rara, molli, ac sensili, porisque patulis, atque apertis, vasisque omnis generis copiosis; Unde præ multis aliis humani corporis partibus facilius, frequentius, & copiosius sudant, tactu res apicibus facile explorant, atque pulsus cordis, atque arteriarum motumque sanguinis, & humorum tam progressivum quam maxime vero intestinum in his percipere, & cognoscere possunt: Apud Medicos in confesso est, febres continuas latentes, lentasque hecticas, in quibus motus sanguinis progressivus circularis

cularis magis imminutus, & inteſtinus motus. cujus præſertim effectus calor animalis eſt, præternaturaliter auctus ſecus ac in aliis febribus obſervatur, ob remiſſiora ſymptomata in principio præcipue difficiles admodum cognitu eſſe, hincque ægros pariter, ac ipſos Medicos fallere: Etenim in his pulſus naturali aliquantum celerior & mediocris, in volis tantum manuum præcipue obſervabilis, atque primum non adeo acris, paulo poſt mordacitas, & ariditas quædam percipitur a tangentibus ibi, & arteriæ calidiores partibus vicinis deprehenduntur.

§. V.

His breviſſime præmiſſis atque præſuppoſitis fiet, ut haud inani conjectura affirmemus calorem hinc naturalem tenuem, blandum, æqualem, perennem, humidum, vaporoſum, ſpirituoſum, æthereum, elaſticum, ſalinum, ſulphureum, adeoque activum, & per poros exteriores ad interiores quoque partes pertingentem, naturalique ideo magis familiarem eſſe, eoque calore utiliorem, qui a fomentis artificialibus paratur, vel qui a linteaminibus & pannis calefactis, & mediante igne ad fornacem comparatur, adeoque huncce calorem mediantibus impoſitis manibus efficaciſſime, ac utiliſſime fovere partes, vel proprii, vel alterius corporis, perfrigeratione ac ab acri gelu tactas, in quibus, ut nemo jam ambiguum habet, juvandis, fovendis, blanda & temperatiſſima ſaltem fomentatione opus eſt, ut pororum & tubulorum in membris frigore tactis ſervetur æqualitas, donec humores intus impediti & coagulati rurſus in circulum naturalem redire queant: nam ſi calidiora nimis mox applicantur, coagulati humores impetuoſius reſolvuntur, relictis fibris flaccidis ac pene emortuis, interiora verſus nimis violento modo moventur, ex quo corrumpi, gangrænaque, imo cito ſphacelo affici poſſunt.

§. VI.

Etenim quoniam, ut ante interque manus ſunt, (ut ajunt) univerſa naturæ opera, calore, utpote actione valida

ætheris, in intestino & vorticoso motu in partibus sulphureis consistente administrantur; unde & laudatissimum naturæ organon jam dudum is vocatus est, ita & in corpore nostro vitali insignem caloris usum quotidie deprehendimus: calor sane vitæ & sanitati amicus est, amicissimus vero consimilis vitalis. Hoc mediante pori mixtorum penetrantur, ac commodissime expanduntur, ut per solidarum nutrimentum apponatur, atque liquores illi roscidi vitales blando fotu humido & calido, vaporoso, spirituoso, elastico, æthereo, atque perenni influente suo non tantum dissolvuntur, crassiores subtiliores redduntur, inutiles secernuntur & excernuntur, & a congelatione, ad quam alias valde proclives sunt, tutissime vindicantur, sed etiam undæ illorum excitantur, & perpetuo æquali jugique itu & reditu in debito ordine conservantur, atque adeo duræ, & resistentes solidæ partes flexiles exinde evadunt, quemadmodum digestionem, fermentationem, omnemque solutionem admoto calore egregie juvari, & animalia, insecta &c. quæ licet per aliquot menses frigore adstrictæ & tanquam mortuæ jacuerint, accedente quocunque tepore, reviviscere cernimus, unde & nullum animal sine calore est, quamvis non semper sensibili. Quid itaque convenientius & optatius debilibus, elanguidis, elumbibusque, ex longis & pertinacibus morbis convalescentibus, frigidis, & senibus, esse potest, quam si manus amicæ suis corporibus iterum iterumque applicentur, & exinde levamen, juvamen, vigorem ac refocillationem, atque caloris imminuti & pene extincti suscitabulum adipiscantur.

§. VII.

Quin imo per impositionem & contactum manuum assiduum atque frequentem, eumque, quo subinde tota attingunt & contrectantur corpora, recte valentium & juvenum præcipue (homines enim in pueritia & juventute adhuc constituti, saniores omnino habentur.) sanitas aliis quoque communicari potest. Si enim morbi per contactum atque

atque effluvia morbifera intemperata, corrupta, atq; maligna certissime propagantur; evidens jam apparet ratio, quod & sanitas per blanda, temperata atque sana effluvia, per calorem animalem continuo exhalantia, perque salubrem contactum proximis efficacius & certius eadem imprimentem & invehentem ingeri instaurariq; queat: Contrariorum enim contraria ratio est; Valet & hic præcipue illud adagium: Ex sanitate sanitas: Atque adeo sola conversatio, solusque convictus tam morbos communicat, quam salubritatem conciliat, cujus utriusque rei documenta & exempla a Socrate, (qui frequentem adolescentum consuetudinem retardare senectutem, qui per se morbus est, perhibet;) Pythagora, Isocrate, Gorgia, Orbilio, aliisque pluribus Philosophis atque Sophistis, item Apulejo Lib. I. Aul. Gellio Noct. Att. Lib. II. c. XXIII. nec non post eos J. W. Zinckgrafio Apophthegm. p. 35. J. V. Beverwick Schatz der Gesundheit p. 754. a Marf. Ficino vid. Lib. II. c. XII. Bacone de Verulam v. Cent. X. Hist. Nat. §. 942. p. 955. & Histor. Vitæ & M. p. 554. Ramazzino v. Tr. de Morb. Artif. cap. XIII. Franc. Ranchino de Morb. Senum S. I. c. VIII. ipsoque denique Galeno Method. VII. aliisque longius jam non adducendis, petantur.

§. VIII.

Physica docet inesse etiam moderato calori magnam vim mixti poros intime penetrandi, & expansiva sua virtute partium compagem dissolvendi, quod in chymica arte clarissime videmus, fermentationem nimirum, omnemque solutionem calore egregie juvari, quod vel in vulgus in fermentatione musti aut farinæ pro panificio, aut frumentorum ad præparationem spiritus vini, notum est, quod nempe hæ digestionis species leni etiam calore intendantur. Docet quoque & ulterius confirmat, Physiologia medica influum calorem animalem humidum, spirituosum, æthereum, elasticum, salino-sulphureum concretorum poros subeuntem, eosque aperientem in negotio adeo abstruso

digeſtionis & chylificationis in ventriculo & inteſtinis, omnium aliorum inſtrumentorum ſolventium efficaciſſimum eſſe, quo omnino admirari ſubit, non ſolum carnium, ſed & in lupis canibusque oſſium devoratorum magnam quantitatem intra paucarum horarum ſpatium penitus ſolvi, digerique. Demonſtrat idem ad oculum Phyſica experimentalis, quando per machinam Papinianam dictam multifaria concreta, atque adeo duriſſima oſſa emolliuntur, ſolvuntur & mediante potiſſimum calore juxta incluſum liquidum in liquamen chyloſum vertuntur. Phyſiologia pariter docet ventriculo vicina, & adjacentia etiam viſcera vitali ſuo calore, quo gaudent, ut hepar, lien, aliæque partes calidæ, omentum, portio coli inteſtini varie flexi & convoluti, quæ ventriculum quoque attingit, calorem vividum ſubminiſtrare, digeſtionemque alimentorum adjuvare. Haud dubitanter exinde inferre licet, aſſiduam manuum impoſitionem præcipue bene carnoſarum in regionem ventriculi, motum ventriculi & inteſtinorum toti œconomiæ animali adeo proficuum, commodum juvamen, atque in chylificatione læſa, anorexia, dyſpepſia, bradypepſia cruditatibusque ventriculi variis collectis, validum & gratum ſtomachicum externum, emplaſtris de cruſta panis &c. & ſcutis ſtomachalibus alias, uſitatis, ſuperius, longeque anteferendum, atque haud contemnendum remedium eſſe, & optimam correctionem. Similiter ab ea in aliis ventriculi & inteſtinorum morbis & doloribus, ut nauſea, ructibus moleſtis, cardialgia, colica, aliisque doloribus moleſtiſſimis ventriculi & inteſtinorum, inflatibus, ipſaque tympanite aptiſſimum remedium exſpectandum. J. N. Pechlinus Obſervat. Phyſ. Med. Lib. III. Obſ. XXX. p. 475. teſtatur, & refert ſe noſſe aliquem, qui tumore ventriculi flatulento ſumme dolorifico vexatus, felicem ſemper manus impoſitionem expertus eſt, & aliis ideo magno quoque emolumento commendare ſolitus eſt, atque ab hujus quidem manu, dum ventriculo admovebatur, emanans in ſuperficie

cutis

cutis ſerum, qua manus ſphæra ſe ſe explicavit, doloris cauſam fugamque opportune ſignificavit. Vel in vulgus notum eſt, quando ii qui ex curſu velociori, aut flatulentis aſſumtis alimentis, lacticiniis, nimiis in ſiniſtro latere dolorem pungitivum ſentiunt, quem ordinarie lieni, quamvis non adeo appoſite, adſcribunt, manum ſuper hanc regionem explicant, molliterq; premunt, & aliquandiu ibi continent, quod protinus levamen ſibi acquirant. Nec non in vomitu, hypercatharſi, ſingulisq; ventris fluxionibus, diarrhæa, dyſenteria, ipſa cholera & iliaca paſſione adjutorio hoc modo manus eſſe poſſunt. Item egregium æque juvamen promittere licet in affectu illo ſatis frequenti, a pauciſſimis tamen deſcriptio, cardialgico ſplenetico, barbare mirachiali, aut mirachia dicto, plethoricis & ſanguineis præſertim familiari, morſibus & tenſionibus in ventriculi regione, & anxietatibus anguſtiisque, duritie item & abdominis & inflatulentia, nauſea quandoque, imo vomitibus ſubſequentibus ſe exerente, tandemque in tabidum hecticum ſtatum deſinente, a congeſtione ſanguinis circa vaſa ſplenico-ſtomachica, & humoribus acutis & pungitivis ſeceſſis oriundo, quatenus nempe per hoc remedii genus partes foventur, pori aperiuntur, fibræ laxantur, tranſpiratio inſenſibilis procuratur, dolores mitigantur, influxus ſpirituum animalium, & ſanguinis promovetur, ſtaſesque auferuntur. Conf. Joel Prax. Lib. IV. Sect. II. p. 99. Simile propemodum remedium eſt, quod commendatum apud Scholzium a Roſenau legitur in Conſil. Med. p. 924. Hinc & multi pro chylificatione juvanda optimo etiam conſilio catulos abdomini imponere aſſolent.

§. IX.

Ab impoſitione tali manuum in hanc ventris regionem alia quoque viſcera & partes internæ variis morbis non modo inflatione, ſed & obſtructione ad ſcirrheſcentiam tandem prona, inflammatione, ſingultu &c. laborantia, ut hepar, ac lien præcipue, & poſt hæc diaphragma quoque & meſente-

 rium

rium pancreasque ſibi medelam, & adjutorium æque promittere poſſunt. Huc forte trahenda ea ſanatio eſt quam Pyrrhus Epirotarum Rex, de quo Plutarchus in hujus vita, & Plinius Lib. VII. c. 2. & XXVIII. c. 4. videndi: ut ferunt, digitorum attactu lienoſis præſtitit. vid. Pacichellius in Hieroliturg. c. VIII. Quoniam & hæc abdominis viſcera cum ſuis contentis, adjacentibusque vaſis ſanguiferis, vena portæ præſertim mali hypochondriaci, partim partem conſtituunt affectam, partim ſuppeditant fomitem, manuum applicatio, & preſſio hoc præcavere, & curare egregie poterit. Affinis huic affectui hyſterica paſſio eſt, affine quoque ipſi hoc remedium erit. Imo in ipſo ſcorbuto, univerſali illo malo, quod ſecundum noſtram quidem opinionem a vitio quoque horum viſcerum, & exinde proveniente excrementorum copia ab emunctoriis depurationi ſanguinis inſervientibus obſtructis derivandum eſt, contrectatio talis per manus totius abdominis & laterum diuturna, facile validumque remedium non ſine cauſa habenda eſt.

§. X.

Ut chylificationem ſic facilitat hoc remedii genus, ita & quæ hanc ſequitur functionem animalem, nutritionem nimirum, quæ cum vita pari paſſu ambulat, adjuvat, quod lymphaticum ſuccum utilem ac aptum, qui generato animali vitam, perfectionem, conſervationem atque integritatem præſtat, accerſit & actuat, partesque nutriendas diſponit, ut eædem in juſta quantitate, qualitate, atque mutua agendi habitudine ſerventur. Quid itaque membris nutritione imminuta, & forte etiam depravata laborantibus, paralyſi, hemiplegia affectis, atque hinc marceſcentibus, tabeque conſumptis, rachitide vitiatis, utilius afferri poteſt, quam ſi nativo ejusmodi calore foventur? cum noſtro coincidit illud a Damaſceno paralyticis propoſitum, ut nempe puerum carnoſum aut puellam ſibi habeant accubantem.

§. XI.

Doloribus ſingulæ corporis humani partes ſubjectæ

ſunt,

ſunt, ſingulæ quoque manibus ſic applicatis ſubjici, & ſolatium mulcedinem, atque levamen exinde accipere poſſunt. Ad hanc rem notatu dignum eſt, dolores partes excruciantes manus ipſas monſtrare, forteque ad hoc remedii genus applicandum admonere, unde adagium illud natum: Ubi dolor, ibi manus: Fit enim a naturali hominum conſuetudine, ut ei corporis parti, quæ dolet, frequenter manus admoveant: Equidem ad hoc dictum etiam refert animum advertere, quod ſæpe noxia & periculoſa ſit frequens illa dolentium partium per manus, præſertim digitos, contrectatio, frictio, & irritatio, quoniam humorum affluxus ad has partes, intumeſcentia, major pruritus, imo inflammatio ex facili, ordinario exinde concitantur. Præcipue vulnera & ulcera, parteſque ſpongioſæ & glanduloſæ, & admodum ſenſiles, dolentes vix, ac ne vix quidem ejusmodi frequentem contrectationem ferunt, quibus ideo cum cura ab ea abſtinendum eſt; unde etiam quædam ulcerum ſpecies, noli me tangere, audit, potiusque valent ea dicteria: manum de tabula, atque: ſuſtine & abſtine: At alia utique res eſt, atque exceptionem patitur, explicationemque requirit crebrius digitis contrectare, & ſic irritare partes dolentes, alia rurſus blanda manuum impoſitione easdem fovere atque mulcere; tantum enim abeſt, ut malum ejusmodi fomentum augeat, ut potius leniat, atque corrigat. Ad dolores certe leniendos æqualis per manus preſſio contrario niſu, & calidum humidum vaporoſum, quod continuo ex manibus præcipue earum volis per tranſpirationem inſenſibilem effluit, admodum proficuum eſt, quoniam nimiam fibrarum hanc præternaturalem expanſionem ac rigiditatem exinde inductam, in priſtinum & meliorem ſtatum modumque reducit, demulcet, atque compeſcit. Certius ſecuriusque ideo hoc remedii genus applicandum etiam paulo fortius premendo nimirum, illis partibus dolentibus erit, quæ oſſa ſubjecta habent, quæque profundius latent, cujus rei plurima exempla eſſe poſſunt, cephalalgiæ

lalgiæ, earumque variæ ſpecies, a quavis etiam cauſa exortæ ſint, hemicrania &c. In harum cenſu non omittimus inter omiſſos affectus ab Arnoldo Bootio relatam v. Obſerv. Cap. IV. futurarum capitis diſceſſionem Hibernis admodum familiarem, quæ immanem dolorem affert, adverſus quam nullum præſentius auxilium, quam a manu comprimente excogitari poteſt, ut etiam ſua experientia comprobat Joh. Nic. Pechlinus in Obſerv. Phyſ. Med. Lib. III. obſ. XXX. p. 475. Inter hæc porro memorandæ odontalgia (de cujus curatione de ſe ipſo Cardanus ſingularia recenſet) otalgia, ophthalmia, dolores pleuritici, ſive illi a vero, ſive ſpurio morbo laterali procedant. Memorandum inter exempla hujus rei, quod apud Sinapium legitur: Hæc de motu, inquit, meditanti occurrit mihi memoria Abbatis certi, quocum mihi ante paucos annos non parva interceſſit familiaritas & conſuetudo: Prædictus nempe Abbas ſæpius conquerebatur ſe puncturis laterum inprimis ſiniſtri divexari, quas ipſe non alio remedio ſe diſcutere, mihi narrabat, quam iterata, pugnoque inflicta forti percuſſione, tandemque longa frictione loci dolentis. Suadebam autem eidem Abbati, qui ſæpius etiam podagricis fatigabatur doloribus, ut fuſtibus adventantem exciperet podagram, ſed ipſe negabat conſequentiam circa remedii paritatem. Doloribus item, quos flatus per inteſtina oberrantes creant, nec non de nephriticis idem ſentiendum. Similiter in iis, a calculo veſicæ graviſſimis procedentibus tormentis, diuque trahentibus, & quibusdam intervallis ſæpius recurrentibus in colis blanda contrectatione, remedium miſeri patientes quærunt, & ſæpiſſime inveniunt; is præcipue, qui colis glandem contorquet dolor, ſpeciatim vix ab alio remedio, quam aſſiduo manuum tactu, preſſione, & extenſione, molli demulcetur. Atque in aliis, aliarumque partium, artuum, articulorumque doloribus & arthriticis vagis fixisque, catarrhalibus, rheumaticis & iſchiatis hoc commendandum auxilium venit; Hæc enim manuum continua impoſitio æque feliciter

fotu

fotu ſuo naturali, & conſimili humorem dolores inferentem diſcuſſoria vi digerere, atque abſumere poteſt, ac catelli membris ſic affectis appoſiti, quam appoſitionem tamen horum animalium multis nominibus laudant experti. Acta Philoſ. Angl. A. MDCLXVI. Menſe Majo No. VI. mentionem faciunt fabri cujusdam ferrarii, qui non ſolum medica quaſi ſua manu vomitum demulſa ventriculi regione, ventremque laxam concitavit, ſed & arthritidem ſuſtulit, doloresque aliorum membrorum compeſcuit.

§. XII.

Si itaque dolores ſedat manuum impoſitio, & per eam facta fomentatio, haud obſcure quoque hinc inferendum eſt, quod ſpaſmis manuum præcipue, & pedum doloris quandam ſpeciem inferentibus medeatur eadem. De his enim conſtat, quod alia fomenta egregia contra hæc atque ſimilia mala remedio ſint v. g. practici tanquam infallibile remedium proponunt, atque præcipiunt, ut partes ſpaſmo affectæ pannis calefactis & foveantur, & leniter fricentur, aut ut in animalis cujusdam modo mactati, ac adhuc calidi ventrem trudantur, & aliquamdiu detineantur, vel ut modo detracta & calente adhuc pelle agnina, vervecina, leporina &c. involvantur, vel ut columbæ, aut gallinæ ſemi-mortuæ tranſciſſæ imponantur. Hic commemorare licet, quod Alex. Trallianus Lib. VI. Cap. XIII. & Baricellus Hort. Genial. p. 137. teſtantur, ſingultum contrectatione, tenſione & compreſſione digitorum ſedari.

§. XIII.

Certum namque eſt, quod & humores lenti pertinaces alicubi in corpore hærentes, ſituque peccantes, moleſtiamque creantes in hydrope, anaſarca, œdemate potenter ſatis diſcutiantur, dividantur, atq; promoveantur, ſi nempe preſſione præcipue fortiori, auctaque, atque aſſidua manus, & digiti iteratis attactibus, atque tractibus ſic operentur. Etenſim hoc medio, ac remedio iſti ſurſum, deorſumque, atque de loco ad locum, & a nobilioribus membris ad ignobiliora tandem ipſa corporis extrema cum exoptato effectu derivantur. Nota nobis fœmina in vicino quodam oppido eſt, quæ omni aſſeveratione affirmat, quod catarrhos, pandiculationes moleſtas,

lestas, quibus persæpe in scapulis maxime se exerentibus vexari solet, sola, & successiva manuum impositione, & pressione a scapulis ad brachia, & si per dorsi tractum descendant per humeros crura, surasque feliciter deturbare, evocareque posset. Imo si iidem ipsique impacti humores ac tumores alibi exinde jam facti, ut sunt tubercula, strumæ colli, mammarum &c. talpa sive tumor ille, qui sub puerorum capitis cute tanquam sub telluris cortice serpere solet, ut & ex motu, contritu, aut contactu rei fervidæ in cute excitatæ vesiculæ, illique minores tumores, quos papularum titulo comprehendit Galenus Lib. III. de Symp. Caus. Cap. II. impositæ, foventes prementesque manus impense conferunt. Pariter in paronychia, parotide levamen haud vile hoc remedium afferre potest. Imo si humores alicubi impacti ad scirrhenscentiam tendunt, iterato manuum attactu, & pressione medelam acquirunt. Sique tales tumores obstinati sunt, & maturationem detrectant, quam tamen intendunt medentes diutius admotæ manus puris generationem apprime facilitant & provocant, posthabitis omnibus emplastris digestivis. Legatur hic in testimonium haud rejiciendum ea dolentium tumorum cura, cujus mentionem facit Bartholinus in Act. Hafn. Vol. V. Observat. 126. quod nimirum virum quendam viderit, qui quoscunque exteriores corporis dolentes tumores pungnis vehementioribus partibus dolentibus, & tumentibus adactis domare, & abigere scivit, ut quasi fustibus tractati molles fiant magis, quam ullis emplastris. Similiter tumorem anevrismaticum loco ligaturarum nuda saltem manus atque digitorum applicatione & pressione abigere conati sunt alii atq; horum ope non solum talis tumoris augmentum inhibitum Tulpius Lib. IV. Observ. XVII. penitus autem sublatum fuisse Dolæus V. Encycl. Chir. Rat. Lib. V. cap. XII. afferunt. Forte etiam ulcera sanorum hominum manus imposita mitibus, temperatis, balsamicis suis præcipue effluviis sanare, ac pressione inhærens depascensque pus exprimere valebunt; Inde etiam hariolari licet, palpitationem cordis a stimulatione & irritatione ortam ad quas præternaturales commotiones, tumores circa mediastinum, & pericardium aut serum congelatum circa cor in hypochondriacis, melancholicis præsertim inveniendum, occasio-

casionem, & causam præbere solent, manuum supra pectus, & scrobiculum cordis assiduam impositionem sedare posse, quoniam in hunc finem sacculi, & cataplasmata a practicis nec sine ullo prorsus quandoque effectu admoveri solent.

§. XIV.

Facilius, certiusque hinc ecchymomata, sive sugillationes & vibices ex contusione, compressione, vulneratione factæ, si manus imponantur, diutiusque ibi serventur, corriguntur: nam sanguis circa cutem in tenuibus venis contusis effusus facile sic discutitur. Hanc manuum impositionem, & detentionem ordinario Præses commendare solet iis, qui venæ sectionem admiserunt, & ex vulnere inflicto tali ecchymomate notati, & dolore, & spasmo quodam vexati sunt, brevi enim temporis spatio & spasmus minuitur, & dolor sedatur, livorque abigitur.

§. XV.

Longius hanc rem perpendentes si procedere velimus, & ulterius quædam commemorare quæ subinde ad manus veniunt, opinio haud falleret, multo plures morbi per manuum impositionem posse curari; In præsens modo pro cujusvis placito expendendum proponamus, quanta & qualia subinde mala a transpiratione insensibili per poros cutis, eveniant, inter quæ primaria & frequentissima, generisque hominum inimicissima febres omnis generis sunt; Aptissimum vero remedium est, hanc necessariam, & maxime proficuam excretionem, revocare, augere, & promovere manuum impositio, & undique applicatio, atque per eam restitutam ac intensam adeo multa adeoque perniciosissima mala aut præcavere, & avertere, aut facta jam ac inducta depellere, atque curare. Non plane adhuc hic silendus est manuum, & digitorum, quem simul res & occasio offert, usus, quem præstant, in vasis majoribus sanguiferis utut arteriæ illa sint, corporis sauciatis; quid enim notius est vel solius interdum digiti admotione, & compressione vulnus occludi, & constrictione sic actuali ostiola transmittentium vasorum sanguiferorum obturari parietesque vasorum adduci, atque hæmorrhagia sisti ex tempore quasi & efficacissime posse; Commemorandus simul is usus est, qui in reducendis herniis habetur. Ad

hæc ad manus quoque venit, quod vulgo quoque non ignotum eſt, uvulæ prolapſum, quem vocant i. e. ejusdem intumeſcentiam, & relaxationem per manum in collo contrectatione, & ſurſum ductione in priſtinum, ſanumque ſtatum reſtitui. Hoc quoque qui neſciant opinamur pauciſſimos eſſe, iis, quibus ob avidiſſime deglutitum cibum, aut potum affatim hauſtum, ac de quibus vulgo dicitur: Es wære ihnen etwas in die unrechte Kœhle gekommen, & occluſam inde gulam ſuffocatio imminet dorſi percuſſionem iteratam per manus prodeſſe. Perinde periculoſius tuſſientibus, atque phtiſicis infarctu pulmonum laborantibus, iisque, qui hinc pituitam tenacem e pectore difficulter excernunt, hanc dorſi percuſſionem apprime conducere ulterior argumentatio valet. Quam proficuæ puerperis ad felicem partum obtinendum tales manuum contrectationes eſſe ſolent, legendum ſiſtamus, quod Th. Bartholinus ſcripſit Cent. VI. Hiſtor. Anatom. 83. Novi in Gallia puerperas, quæ feliciter etiam vivos fœtus enituntur compreſſione externa manuum propriarum, qua blande ad exitum propellunt embrionem, & ita ſine aliarum mulierum auxilio brevi ipſe negotium ſuſceptum conficiunt. Plura forte poſſemus circa hanc ipſam rem in medium afferre, ſi diutius huic contemplationi in hærere volupe eſſet, ſed ulterius hunc penum inſtruendi animum curatius advertentibus relinquamus, ac ſedulo commendamus, ſatisque habemus eſſe hic aliqua, eſſe ſaltem primaria hujus rei momenta & documenta.

§. XVI.

Hucusque emolumenta quædam attulimus, quæ manus vivi, valentisque hominis conciliare poterunt; nunc noviſſimum id modo ſupereſſe videtur, ut ſummam manum huic tractationi addituri, brevi manu tradamus, quæ de mortui manus aut digitorum ſaltem attactus conferat. Nimirum non modo pervulgata opinio eſt, ſed & experientia haud ſimplici vice comprobavit, omnis generis in ſumma cute excreſcentias, verrucas, ſcrofulas, ſtrumas claves digitorum manuum & pedum, atque adeo ſtrumas ſolo attactu aut confrictu mortui manus auferri. Siquidem ex. gr. in Actis Philoſ. A. MDCLXVI. Menſe Majo legitur ſtrumas maximas

pericu-

periculosas, per duos tresve annos molestissimas manus tandem hominis mortui applicatione fuisse curatos, ut plura jam alia testimonia taceamus. Præsertim persuasione quadam ducti manum morbo aliquo chronico & emaciante maxime omnium phthisi demortui pro hocce scopo eligunt. Qualis equidem effectus si respondet successus non tam tactui, aut effluviis, quæ intestino & circulari fluidorum corporis humani cessantibus motibus & corpore emortuo & frigido paucissima vixque sufficientia esse possunt, aut frigori, quod infert mortua manus & per hoc illatam spasmodicam contractionem, alias glaciei frustrum præferendum esset, quam phantasiæ aut imaginationis potius viribus & magis adhuc exhorrescentiæ, quam exinde concipiunt contacti, me judice tribuendus esset. Quo magis enim teneriores, delicatuli, creduli, ad imaginandum faciles, timidi aut quo magis horrent manum mortuam attacti eo promptior est speratus effectus, nec nos ratio fugit, animam quæ sensu aut dissensu motum spirituum animalium & humorum moderatur & determinat, eorum affluxum ad partem obsessam atque affectam inhibere, ut eadem alimento necessario destituatur, atque opinamur illud qui nesciat facile neminem esse, ac in semetipso quemvis id exploratum habere, oblatis alioquin alimentis valde gratis & suavioribus urgente sic fame a præsentia & conspectu illorum salivam moveri, adeo ut copiosior in buccam confluat, quin & interdum ex ore longius & velut cum impetu quodam prosiliat; e contrario vero quando cibi ingrati aut minus sapidi aut sola satietate tædiosi diu etiam in ore & quam maxime masticando convolvuntur, deficere tamen salivæ confluxum, ut vel propterea deglutiri facile non possint, sed & vel in faucibus hæreant. Tales effectus & alibi videmus, quando e. g. ferrum ignitum, ex improviso præcipue affertur graviores etiam hæmorrhagiæ, ex terrore, aut exhorrescentia exinde concepta extemplo compescuntur, atque sistuntur, etiamsi ferrum corpus non attingat, quatenus effrenes humorum motus ad partem affectam prohibentur. Longe plures in aliis effectus toto die experimus, qui de animæ in corpus imperio, deque vitiosorum motuum sine medicamentis correctione, de naturalium

corpo-

corporis excretionum determinatione, & moderatione, de medicamentorum, effectuumque immutatione, de nævorum fœtui impressione &c. clare testantur. Talis manus mortuæ attactus non modo excrescentias, sed & alios tumores, & hernias, sarcocelen abigit, ut experientia subinde testatur. Quidam hoc quoque edocent salacitatem nimiam, & vix compescibilem satyriasin, immo etiam priapismum per huncce attactum compesci. Nota nobis observatio est de viro quodam, qui cum sarcocele affectum se videret, contactu manus mortuæ illam tollere curavit, quod quidem ita successit, ut herniosus tumor evanesceret; sed ei frigiditas, & sterilitas quorundam antea liberorum patri, successit.

Sed manum de tabula.

DEO SIT LAVS ET GLORIA.

Errata Typographica potiora.

Pag. 2. linea 1. pro contaminatur lege contaminantur. p. 3. §. 4. lin. 8. pro Sens. l. Fen. p. 12. §. 10. l. ult. pro veniculum l. vehiculum. p. 13. l. 23. pro flexioris l. flexilioris. p. 18. §. 12. l. 6. pro achoras l. achores. l. 12. pro charectere l. charactere. p. 19. l. 12. pro decidiis l. deciduis. p. 25. l. 31. pro diophoretica l. diaphoretica. p. 26. §. 17. l. 13. pro inducitur l. inducatur. p. 30. l. 21. pro calpro l. scalpro. p. 31. l. 13. pro sorbilo l. sorbili. p. 32. l. 11. pro Botollus l. Batallus. p. 33. l. 22. pro aversa l. adversa. p. 35. l. 10. pro minis l. nimis. p. 45. l. 4. pro han. l. hos. p. 57. l. 31. pro vici l. vice.



DISCVRSVS MEDICVS DE ABORTV ET MEDICAMENTIS ABORTIVIS,

ITEM

VTERINIS PELLENTIBVS

QVO

MEDICAMENTORVM VTERINORVM,

ET IMPRIMIS

ABORTIVORVM

VIS ET QVALITAS,

ITEM

An talia dentur?

Quæ pro talibus venditentur?

ET

Quid de illis ſentiendum ſit?

DISQVIRITVR,

VARII CASVS RECENSENTVR ET EXPLICANTVR ATQVE ALIAE QVAESTIONES AD HANC MATERIAM SPECTANTES DILVCIDANTVR.

OPVSCVLVM OMNIBVS MEDICINAM EXERCENTIBVS NECESSA-SARIVM ET VTILISSIMVM,

AVTHORE

J. N. L. M.D.

πάντα γὰρ οὔπω
ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔπι πολλὰ
κέκρυπται, τῶν αἴκε θέλη, καὶ ἐσαῦτίκα δώσει
Ζεύς

Omnia enim nondum
è Jove mortales didicimus, verum adhuc multa
occulta ſunt, quorum aliquarum libuerit
etiam impoſterum dabit Jupiter.

Arat. Phoenom.

VIRIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS
ATQVE
EXPERIENTISSIMIS
DOMINO
AVGVSTO IOH.
HVGONI
MEDICINÆ DOCTORI LONGE CELEBERRIMO
ET
PERSONÆ REGIÆ
MAGNÆ BRITANNIÆ
ARCHIATRO DIGNISSIMO
PHYSICO MERENTISSIMO
FAVTORI ET AMICO MEO
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO
ATQVE ETIAM
DOMINO
PAVLO GOTTL.
WERLHOFIO
MEDICINÆ DOCTORI LONGE MERENTISSIMO
ET
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS
MEDICO AVLICO DEXTERRIMO FAMIGRATISSIMOQVE
DOMINO ATQVE PATRONO MEO PERPETVO
COLENDO.



VIRI
EXCELLENTISSIMI
PRÆNOBILISSIMI AMPLISSIMI
ET
EXPERIENTISSIMI.

Non ingratum erit, ſi, dum graviſſimorum negotiorum Vos undique circumcingit multitudo, & arctioribus velut includit gyris, libellum hunc audacius forte, quam par eſt, Vobis inſcribere, dedicare & ſub

celeberrimo veſtro nomine in lucem edere conor. Dum autem libellum hunc typis vulgare volo, *Vos Viri Prænobilisſimi*, appellare audeo, velitis pro ea, qua literarum medicarum cultores proſequi ſoletis, ſingulari gratia, illius Patrocinium contra iniquum ſuſcipere. Et ſi enim in ſummo honorum ac munerum faſtigio conſtituti, arduis curis ac maximis negotiis quotidie occupati, tamen quia olim in Academiis per omnis generis medicas Diſciplinas ingenium Veſtrum agitaviſtis, & ſolida artis Medicæ ſcientia ibi ſtatim excelluiſtis, amorem erga literarum Medicarum ſtudia, *Vos*, *Viri Excellentisſimi Experientisſimi Amplisſimi* nondum exuiſſe, quilibet, cui ad *Vos* admisſio patet, experitur. Quare quum alii, qui mentis ſuæ progeniem *Vobis* conſecrare ſolent, varias atque multiplices conquirant rationes, hanc ego nonniſi unicam habeo admirabilem, nempe mentis Veſtræ indolem & propenſisſimam in omnes literatos voluntatem, qua omnibus opem Veſtram implorantibus faciles, Juſtos & promptos Vos præbetis, atque ad clementiorem Regis noſtri notitiam

com-

commendatione Veſtra viam panditis, ut unus quisque inter primas felicitatis ſuæ partes numeret Clientes Veſtros eſſe, ac Veſtra frui poſſe clementia jam diu, *Viri Excellentisſimi*, *Experientisſimi* has virrutes in vobis admiratus ſum, & ab eo tempore, quo Hannoveræ fui, haud ita humanisſime Viſitationi Veſtræ admiſſus, id unice in votis habui, ut meæ quoque devotisſimæ mentis erga Vos publicum extaret monumentum, tandem hic liber vel hæ paginæ opportunam mihi obtulerunt occaſionem, qua Patrocinio Veſtro me meaque commendare atque in clientum Veſtrorum numero nomen quoque meum profiteri poſſem. Permittite igitur Viri *Excellentisſimi Experientisſimi*, ut opus hoc ab *perilluſtri Nomine Veſtro* lucem atque ſplendorem, quo ipſum deſtituitur, accipiat in Clientela Veſtra ſecure conſiſtat. Ego interea Deum teroptime maximum ſupplex precabor, ut Vos omni felicitatis genere augeat amplisſimeque locupletet, *Veſtramque perilluſtrem proſapiam* per filios, virtutum veſtrarum in perpetuo ſplendore

&

& prosperitate conservet. Ita Valete benignis
que radiis Vestris me meaque illustrare atque fo
vere pergite

EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS
VIRIS

Scrib. Ultzæ
Mense Februarii
Anno 1735.

CULTOR DEVOTISSIMUS
J. N. L. M. D.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Jam circa Medium præteriti Seculi, ars Medica aliam quam olim habuit, faciem induere cœpit: Creſcentibus enim aliis ſcientiis, diſciplinis & artibus, Medicis quoque cordatioribus ad meliorandam ſuam calcaria addita fuerunt. Cum enim illi viderent Medicinam prout a priſcis Græcis & Arabibus tradita erat, in pluribus mancam & imperfe-

ctam, obſervationes, præcepta, curationes & experimenta eorum (climatibus illis calidioribus, quæ prædicti ſcriptores incoluerunt, forſan accommodatiora) in multis morbis, præcipue in noſtris his regionibus ſeptentrionalibus, praxi & experientiæ non reſpondere; ad poliendam & emendandam hanc præſtantisſimam artem, errores corrigendos, ſupplendos defectus, ad eamque totam, certiorem reddendam, animos induxerunt. *Poſtquam enim Medici per principia Geometrico-Mathematica*, (ut ait *Bagliv prax. Med. c.* 10. §. 2.) *nec non per experimenta Phyſico-Mechanica & Chymica corporis animati ſtructuram & effectus examinare cœperunt; non ſolum innumera, ſuperioribus ſeculis ignota detexerunt* &c. Hinc detectus ille circulus ſanguinis, multaque inventa Anatomica & varia inſtituta experimenta, Chymica Phyſica & Anatomica, atque alia Similia poſt modum Medicinæ accommodata. Tot proinde excogitata nova ſyſtemata, cui totum hoc ædificium ſecurius, quam quatuor illis elementis, hisque innitentibus quatuor humoribus, facultatibus motricibus, expultricibus, aliisque terminis fictis ſuperſtrueretur. Jam non ita facile credunt Medici illis veterum traditionibus, niſi per experientiam confirmatæ fuerint. Nec Antimonium, vel crudum vel præparatum, amplius pro veneno habetur, licet a tota antiquitate

inter

inter venena relatum, & ab ipſa facultate Pariſienſi, pro tribunali, & per decretum, (durch Urthel und Recht) ad hanc proſapiam damnatum fuerit. Hinc tota jam fere Pharmacia, imo ipſa medendi methodus immutata, & ars illa excellentisſima majora indies capit incrementa. Aſt quamvis indefeſſa illa, plurimorum præſtantisſimorum Medicorum ſolertia, in multis, hanc artem noſtram expoliverit & certiorem ſecurioremque reddiderit, multa tamen ad integram ejus perfectionem adhuc deſiderantur, quorum inter alia Syllogen quandam, (ultra quæ his adhuc annecti poſſent, jam citatus *Baglivius lib.* 2. *cap.* 7. recenſuit.) Huc pertinet, quod amor ille & veneratio antiquitatis, multas adhuc reliquias, intactas conſervaverit; quia animus, præjudicia omnia ac præconceptas opiniones, quibus a juventute & in ſcholis imbutus eſt, monita facile integra deſerere poteſt. Proinde ſtrenui ac doctisſimi Viri adhuc dum indies annituntur, eaque reſtant & emendatione egent, corrigendi & ſupplendi.

Hoc jure merito referri poteſt, doctrina illa abſtruſa *de remediis abortivis.* Quibus unus quisque mihi aſſenſum præbebit, qui conſideraverit, ea quæ hac de materia a veteribus, *Dioſcoride,*

Aëtio, *Avicenna aliisque*, in ſcriptis relicta, & a recentioribus atque modernis ob timorem conſervata ſunt, narrationi nec experientiæ ſatisfacere. Quis autem probus & conſcientioſus Medicus, facile per experimentum inquiret, an hoc vel tale remedium pro abortivo venditatum, re vera hanc virtutem poſſideat? Itaque de ſucceſſu eorum, nihil certi, quam quo caſu, a ſceleſtis mulierculis, quæ tamen, imprimis ſi illorum voto reſponderint, raro in apricum deveniunt, nec niſi fortuito, Medico alicui ad aliquas earum ab uſu talium in morbum & mortis periculum conjectas, advocato, in cognitionem veniunt, reſciſcuntur, quod tamen quoque non adeo ſæpe accidere ſolet. Idcirco, non inutile Reipublicæ Medicæ me facturum credidi, ſi hanc materiem de abortivis (quorum accuratiori indagatione, unum quemque Medicum, ob juratam illam promiſſionem in capeſſendo gradu Doctorali factam, ſe a talibus abſtinere velle, eo ſolertius incumbere decet, ut ſciat, quæ ea ſint, quæ vitare, & quæ contra illæſa conſcientia ægrotis ſuis, atque citra periculum præbere liceat,) paulo fuſius & intimius, quam hucusque videre contigit, ſiquidem nullum de his ex profeſſo egiſſe ſcio, niſi quod egregiam obſervationem, a DD. *Albrecht*, Viro curioſo & erudito Phyſico Hildenſi, *de difficultate abortum, vel directe vel indirecte*

promo-

promovendi. Actis Nat. Cur. Dec. II. Ann. VIII. Obs. CLXV. insertam, cum jam ante talia sæpius mente revolvissem, repererim,) examinarem, atque de illis sententiam meam, quantum per ingenii tenuitatem licuit, exponerem, nec non aliquot observationibus & casibus, quæ in mentem inciderunt, illustrarem. Non quod materiæ huic obscuræ, sufficientem lucem attulisse, vel eam prout decet, satis excussisse, vel exhausisse credam; sed tantum, ut occasionem doctioribus, me, majorique acumine ingenii & experientia præditis, ea quæ hic inchoavi, vel confirmando vel corrigendo, ulterius prosequendi, limandi, & ad finem perducendi; atque ut & hic aliquid certius, quam huc usque, factum statuatur ac determinetur, allaborandi, suppeditarem.

Primo igitur Capite, placuit *Medicamenta illa vulgo dicta uterina*, *menses*, *secundinam & foetum vel vivum*, ad partum jam dispositum, & exitum molientem, vel mortuum, item *molas pellentia* recensere, atque cumulatos istorum acervos ab Authoribus, imprimis *Schrödero in Pharmacopoeia* huc tractos enumerare, ac brevibus judicium de his meum aperire. 2*do* Quæ vulgo ab Authoribus *de Abortu*,

 ejus-

ejusque causis (eo necessario hic præmittendis) dicuntur, recensere. Postmodum

III. Quæ hinc inde a variis Scriptoribus, *pro abortivis medicamentis venditantur & commendantur*, hinc inde ex his, quæ ad manus erant, conquisita, *enumeravi, atque brevibus de unoquoque eorum*, Judicium meum exposui; casibus & historiis quæ mihi forte in mentem inciderunt & acciderunt, dilucidavi. Nolui tamen, omnia ea quæ in veterum Græcorum & Arabum scriptis de hac materia scripta reperiuntur, ceu insipida & futilia, ne lectori nauseam crearem adducere. Tandem sub finem IV. *quæstiones aliquas curiosas huc spectantes* proposui, easque brevi responsione illustravi.

Si conatus hic doctis & prudentibus Viris (alios enim non moror,) placuerit, habebo, de quo mihi gratulari possim, & ansa dabitur, aliis hujus generis, his non absimilibus, mandus admovendi, & inter alia forsan *de sterilitate* aliquid differendi, & problema illud *an sterilitas arte induci possit foeminarum*, quod olim

olim *Aëtius*, *Avicenna* & ipſe *Hippocrates de morbis mulier. l.* 16. *c.* 16. affirmare videntur, excutiendi. Item obſervationes ſupra totam *Medicinam*, *&* *curationes*, *per ſuccincta*, *polychreſta &* *concentrata Medicamenta &* *quæ ex illis ab Authoribus Medicis commendata* Succeſſum habuerint, quæ non, quantum per praxin fere ſeptem annorum annotare licuit, *cum cautelis meis practicis* in chartam conjiciendi, & publici Juris faciendi. Sin autem ex his quæ hic attuli, aliqua non arriſerint unicuique, per me libertatem ſentiendi, quam & mihi relictam volo, permitto contentus, ſi meliora edoctus fuerim. Et ſi aliquis pellentia ſic dicta & ex eorum numero, famoſam illam *Sabinum Caſtoreum*, *ſuccinum*, *ejus &* *Juniperi oleum*, *boracem Myrrham & ſimilia*, inter abortiva, qua talia conſervare voluerit, id quoque ſibi per me licebit; dum modo ille dubium, cur inter quinquaginta, vel plures quæ his aliisque uſæ fuerunt, vix una effectum ſibi promiſſum ſenſerit, explanet atque removeat: & ſi ad certam conſtitutionem, vel temperamenti, vel uteri refugerit, jam a me non multum diſſentiet.

Quan-

Quandoquidem rixas & λογομαχείαν, ſemper fuerim deteſtatus.

Nam

- - - - non omnibus unum eſt
Quod placet; hic ſpinas colligit, ille roſas.

Petr. Satyr.



INTRO-

INTRODUCTIO.

SExum sequiorem, frequentioribus passim morbis pro virili, obnoxium esse, quotidiana testatur experientia, molliorque & tenerior corporis constitutio comprobat: quod & *Author observationum Anglicarum, up on the bils of mortalit*: confirmat, ubi Londini, præ uno viro, facile duas fœminas ægrotare annotavit. Inter tot autem affectus, mulieribus solis proprios, & morbis virorum contra distinctos, nulli alii frequentiores tractandi occurrunt, quam qui a menstruis, & graviditate similibusque exinde provenientibus originem trahunt: pro quorum casuum explicatione, sæpius consilia Medicorum tum a vulgo, tum ab ipsis JCtis opinor expetuntur: ut taceam, quod & in praxi Medica non raro occurrant, & scitu maxime necessaria sint. Quum autem illi, *qui circa abortum & medicamenta abortiva versantur*, non ultimum sibi hic locum venditent; interim tamen ea, quæ graviditatem & partum concernunt, nempe legitimum ejus tempus & vitalitatem, &c. satis & abunde a plurimis doctis & clarissimis Medicis investigata sint, ita ut facilius aliquid certi de his statui possit; de *Abortu* quoque, ejus causis, cura & præservatione, plurimi etiam tractatus reperiantur, Authoresque Practici de eo fuse satis egerint: *de Medicamentis* autem, *quæ istos abortus provocare creduntur*, ullum ex professo scripsisse mihi non videre contigerit. propterea investigatio hujus materiæ, eo dignior erit, quanto difficilior; siquidem illa, quæ de abortivis hinc inde sparsim dicta reperiuntur, falsis sæpe præjudiciis nitantur antiquitatis, conservatas traditiones sapiant, nec nisi Præceptoris, (sui antecessoris forsan cantilenam recantantis, aut ab alio authore, sine ulla experientiæ confirmatione transscribentis) dictamina contineant:

Fœminæ frequentiores præ viris morbos patiuntur

De Medic. abortivis nullus A. ex professo scripsit.

Experim. de Abort. difficilia & periculosa.

tineant: confirmatio autem hæc per experimenta propria, ceu alteram Medicinæ columnam, pro accuratiori investigatione & periculosa, (uti in præfatione dictum) honesto conscientiosoque Medico indecora, atque proinde nihil certi de his, quam quod non nunquam per indirectum aliunde resciscitur, dici possit. Quapropter, cum in præsentiarum *de dictis istis abortivis*, quantum per observationes hinc inde innotescere licuit, differere constituerim: præmittere *primo Capite* placuit discursum *de Medicamentis uterinis sic dictis calidis pellentibus*, *& de eorum virtute*: quod deinde *secundum Caput de abortu*, *ejus causis in & externis*, Medicamentis exceptis, propter connexionem, licet, uti dictum, plerique Authores satis jam de hoc pertractaverint, secundum methodum vulgarem in scholis usitatam insequetur: *tertium caput* ipsam enarrationem specialem prædictorum *abortivorum* continebit: annexis ultimo capite, pro majori dilucidatione, *quibusdam casibus & observationibus* particularibus. Sit itaque

CAPUT I.

De Medicamentis uterinis.

Purgatio menstrua fœminar.

NOtum est ex Physiologicis, cum ex ordine naturæ mulieribus, cum tempus pubertatis attigerunt, id quod in plethoricis anno 14to in aliis serius contingit, *menstruam purgationem* obtingere, hanc autem, simul ac vis prolifica interit, quod post 7mum 7narium; anno nempe 49 plurimum evenit, iterum cessare: Sanguine postea in plethoricis, per hæmorrhoides, aut alias vias, exitum moliente. Ita non raro contingit mulieribus, præsertim sanguineis, cessantibus jam mensibus, hæmorrhoides menstruatim in magna satis quantitate obvenire. Hic quoque fluxus uterinus debite constitutus inter signa communiter fœcunditatis ponitur, sicubi flores in plantis imminentium seminum vel fructuum præcursores esse solent. Proinde ut etiam a mulierculis Germanis flos muliebris, die monathliche Blumen, nominetur. Quod si autem post copulam cum viro

viro imprægnatæ fuerint, fluxus hic menstruus ut plurimum cessat: quamvis sæpius mulieres dentur, imprimis sanguine abundantes, quarum quædam ad dimidium gestationis tempus, imo quædam per totum has exonerationes menstruas aliquando insolita, quod tamen rarius, aliquando in imminuta quantitate experiantur, de quibus in sequentibus plura. Facta itaque ejusmodi conceptione, sive graviditate, *conceptus hic fœtus nuncupatur sive Embryo*; si vivat, vivus, sin autem jam perfectus in utero moriatur, mortuus. Si legitimo tempore in lucem edatur *partus*, si vero ante hoc, communiter ante 7mum mensem, vel vivus vel mortuus excludatur, *abortus* dici consvevit. Quod si autem moles informis cornea in utero formata fuerit, nomine *molæ* venire solet. Quorum prior naturaliter, hæ vero, tres ultimæ species, nempe fœtus mortuus, abortus & molæ, præter naturam sive morbosæ contingere dicuntur. Quod si vero in hisce affectibus aliquid morbosi accidat; v. gr. si purgamenta menstrua imminuantur vel supprimantur inordinate, item in nimia quantitate fluant; Si itidem indicia fœtus, in utero langventis, qui abortum minitetur, appareant; item si tempore partus, vel propter situm inconvenientem, vel alias ob causas ille eniti non possit; si item post partum lochia non debite prorumpant, vel secundina retenta fuerit; fœtus item, si vel ante exclusionem moriatur, & in utero remaneat, tot etiam species morborum exinde exsurgunt, ad quorum curationem varia ab Authoribus Practicis commendantur remedia, quæ vulgo uterina dicuntur.

In gravidis cessat.

Fœtus.

Partus.

Abortus.

Varii morbi uterini.

Ex his autem in primis *de uterinis pellentibus* ita vulgo dictis, & primo, quæ ad obstructionem mensium commendari solent, aliquid dicendum erit. Quæ ubique ab authoribus Practicis satis abunde, sed ut plurimum hoc bona fide ab alio describendo, adducuntur. Et, ut ceteros, imprimis antiquiores, silentio prætercam, a *compilatore indicis Schröderiani*, sequens, at quanta! surago, recensetur. Scil. *Folia abrotoni adianth, anagalladis aquaticæ, aquilegiæ, aristolochiæ arthemisiæ, boraginis, basilici, buglossæ, caluminthæ cardiacæ, chærefolii, chamædrios chamæpiptios, dictamni, Jaccæ lauri levistici, mala bothri marubii, matricoriæ, melissæ, menthæ, mercurialis nasturtii utriusque, nepethæ, origani, petrosellini, pimpinelli, poliicreti-*

Contra quos medicamenta uterina pellentia.

ci, roris marini, ſabinæ, ſalviæ, ſoponariæ, ſaturejæ, ſaxifragiæ, ſcolopendrii, ſerpilli, tanaceti, thlaspi, tiliæ. Flores calthæ, centaurii minoris, chamomilli, cheiri, croci, eupatonii lupuli, (proinde & exinde facta cerevisia) *matricariæ ſchœnonti, ſpicæ, ſtæchadis, tanaceti. Radices acort, angelicæ, apii, ariſtolochiæ, aſori, caslini, cæporum, coſti, curcumæ, cyclaminis, cyperi, hellebori albi, eryngis, filicis, trofinellæ, fumariæ bulboſæ, galangæ, irid. flor., leviſtici, meuononidis, petroſellini, pimpinellæ, peoniæ, rapani marini & domeſtici, raponthici, roris marini, rubiæ, ruſci, ſcyllæ, ſpicæ Indicæ, Valerianæ, vincetoxici, bryoniæ* (quam tamen *Schönborn* ceu utero noxivam rejicit. *Man. pract. tit. De uteronociv. Zedoariæ cortices cinnamomi, coſti, tamoriſci. SEMINA agni caſti ammeos veri, apii, aquilegiæ, dauci leviſtici, mercurialis, nigellæ, paſtinacæ noſtratis & Macedoniæ, raphani marini, Seſeleos Maſſilienſis & Cretici, thlaspi. FRUCTUS amygdalæ amaræ, bacc. juniperi, nuces juglandis, conditæ baccæ lauri, rubi. RESINA liquid. ambræ. GUMMI amoniacum, curannæ, elemi, ſugapeni, galbani, laccæ, opobalſami Indici. SUCCUS elaterii, alves. ANIMALIA: aſini lac (quaſi vero) tauri ſplen, capræ ſtercus, bezoar lapis, caſtoreum, zibethum, hominis cadaver, ſtercus muris majoris, lapis porcinus, ſtercus anſeris, canthorides, ſæpiæ oſſa. Fecula Bryoniæ, Sal nitri, Visriolum. PILULÆ gummoſæ, matricariæ, clyſter uterinus. DECOCTUM hyſtericum, ſplenis bovis, extractum hyſtericum Martis. Spiritus Nepheriticus, peſſaria, balſamus uterinus, arcanum duplicatum, ſpiritus ſalis armoniaci, aqua luvendulæ, ſpiritus therebinthinæ, tartari Phyloſoph. coffe, borax ſyrupum de artemiſia, oleum Martiale; Sal Veneris, ſulphuris flores, antimonii & clyſus, tinct. vitri Antimonii, flores Antimonii, tinct. ſambuci, liquor ſpleneticus, tartarus, Vitriolata, extractum ſplenis tauri.* Qui hiſce non contentus eſſe velit & plura deſideret, adeat *Schönbornii manuale practicum, tit.* de uterinis, & *Tudecii nucleum pharmaceuticum, tit.* de medicamentis hyſtericis, *Dioſcoridem, Matthiolum* aliosque authores, conferantur & hic *Wedelii amœnitates medicæ. L. I. Sect. III. Cap.* 10. *de uterinis* Videsne B. L. qvantus numerus medicamentorum ſolummodo menſes pellentium, tam ſpecioſe commendetur; ut fere dimidium totius officinæ pharmaceuticæ explere poſſit. Unde fere omnes ſpeciei, quæ non aperta & manifeſta vi adſtringente vel refrigerante pollent, quorum tamen

men & recenſetur numerus, non plane expers eſt, ad hanc claſſem referuntur. *Et dolendum certe, Medicos in praxi ſua non accurate ſatis ad morbum, ejus cauſam & alia phœnomena, item ad præciſe juvantia & nocentia reſpicientes ex effectu ſæpius accidentali, ea inter hyſterica reponere, quæ tamen re vera illa non ſunt.* Etſi omnibus Medicis in praxi ſua, in tractatione prægnantium fœminarum ab omnibus menſes pellentibus abſtinendum eſt; quisnam ſine ſcrupulo aliquod remediorum, imprimis pulverum compoſitorum, præſcribere audebit? cum raro aliquod compoſitum reperiatur, ſpecierum recenſitarum plane expers, teſtantibus id ipſis diſpenſatoriis; imo vel ob ipſum lapidem Bezoar, cum ſimilibus hic quoque relatum, qui plerarumque formularum, principale ſimul ingrediens eſt. Quis gravidis, vel ipſum Elexir propr. ob crocum, aloen & myrrham; quis ſpiritum ſalis armoniaci, arcanum duplicatum, cinnamom. aquas deſtillatas, menthæ, meliſſæ, boraginis, bugloſſæ & ſimiles, ſine timore propinabit? Quænam utero gerens tuto vel cereviſiam ob metum lupuli, aut innoxium Coffe bibet? Quænam ſecure cepis, radice apii, petroſellini vel allii in cibis, amygdalis amaris, juglandibus conditis veſcetur? Quis igitur non eſt, qui non videat futilitatem plerorumque hic recenſitorum remediorum? Experiuntur quotidie cordatiores Practici, quam *ſegniter talia*, & ſimilia, *promiſſa hæc ſua expleant.* Certe laudata hic *artemiſia, anagallis, aquilegia, borago, bugloſſa, cardiaca, mercurialis, folia tiliæ*, aliaque hujus ſortis, non validius menſes obſtructos reſerabunt, ac propellent, quam crambe & braſſica, aliaque olera. *In libris multa medicamenta contra omnes fere morbos ſpecioſe commendantur, quæ tamen in praxi claudicant*, junioresque Medicos, atque judicio practico per experientiam non confirmatos, ſpe, promiſis & prognoſtico non ſine opprobrio fruſtrantur; cum interea agyrta, tonſor, vel interdum anus, aliquo ſepius a ſe per experientiam confirmato remedio multo felicius rem expediat. Hi nempe ſunt fructus, tot acervatim ex antiquitate, aliisque authoribus additis ſemper ſuis, ſine judicio, ratione & experientia, transſcriptorum & laudatorum medicaminum! Præſtaret ſane, contra aliquem morbum unum, duo, vel tria remedia comprobata, efficacia & polychreſta judicioſe, ſecundum indicationes aliis paucioribus additis punctisque

Ex effectu accidentali multa inter uterina relata, quæ talia non ſunt.

Pleraque ſegniter nimis operantur.

que & observatis necessariis, cautelis practicis aliisque, quæ methodus sanior exigit, ut ea, quæ retinenda, quæve rejicienda, illi periculis aliorum prius experiri & addiscere necessum habeant. Fatebuntur mecum omnes cordatiores & prudentes Medici Practici, ex omnibus his recensitis remediis quam paucissima effectui respondere, imo in malo radicato fere nulla, imprimis si ἀμεθόδως adhibita fuerint. Et certe, *præmissis blande imprimis per ἐπίκρασιν, purgantibus, vel laxantibus, item digestivis, stomachicis, volatilibus, incidentibus, imo sæpissime solis Martialibus*, licet ut plurimum aliquatenus subadstringant, *felicius scopus obtinetur*, quam illis specifice adeo elatis pellentibus, ubi per modum non raro & sine horum adjuncto, ipsa natura officio suo fungitur atque has excretiones molitur. Verissimum quoque est, quod *Ludovici in pharmacia mod. sec. applic.* (quem aureum libellum, ut omnes praxin medicam exercentes melius sibi commendatum habeant, optandum foret) de famosa illa *sabina*, utpote inter omnia ista pellentia primum locum tenente sincere pronunciat, his verbis: *Sabina bonum est in Chirurgia topicum, nec in propulsione & non nunquam, æque ac consimilia sulphurea grave olentia solent, aliquid posse negatur, re vera tamen per se, quam cum ipso belleboro, aliisque (meretricularum potius) additamentis, datæ vel decoctæ suspicio vel exspectatio plerumque major est quam effectus.* Consideret etiam quislibet sanæ mentis hæc medicamina in forma liquida exhibita, (de quibus infra pluribus) ut de pulveribus &c. nihil dicam, post varias alterationes in stomacho & primis viis, per lacteas, ad sanguinem, & deinde per totum corpus deferri debere, quanta quæso portio, doseas 30, vel alterius alicujus uterini ad ipsum uterum perveniet, quæ ibidem obstructiones vasorum reserare, fœtum enecare, deinde mortuum, item lochia, & secundinas propellere valeat? Certe, si effectus exinde non nunquam sequatur, quis non videt, *correcto imprimis digestionis vitio*, quod hic ut plurimum simul laborat, *visciditatibus, in primis viis sæpe nidulantibus*, ubi haud raro origo hæret, *item, vi quorundam ex recensitis istis diuretica, sanguinem nempe vel ejus serum fundendi, & fluidora reddendi, & aromaticorum quorundam carminativa, similique* non nunquam *antispasmodica & anodyna*, e. gr. *in succino, croco, castoreo* &c. *totum hoc negotium*

De istis medicamentis pauca quantitas ad locum affectum defertur.

Effectus illorum ratione contingit.

negotium consistere. Ut ex his satis superque constet, medicamenta hæc Emmenagoga, sive menses pellentia, hunc effectum aliquando, non propria vi quadam sangvinem pellendi, sive eum fundendi, sed viscididitates incidendi, stricturasque contractorias nervorum uteri ejusque *fibrarum, vi anodyna & antispasmodica demulciendi, præstare.* Ut nihil dicam, quod si eadem, non præmissis, ut ante dictum, legitimis præparantibus, aut justo tempore, (v. gr. quando secundum phases lunæ, natura ipsa evacuationes has menstruas molitur,) exhibeantur, nunquam optatum exinde sequi effectum. Sed hæc sufficiant de medicamentis vulgo dictis menstrua pellentibus.

Progrediamur jam ad *cetera uterina Medicamenta* ita dicta *fœtum pellentia*, distingui communiter solent inter ea, qui exitum fœtus maturi, qui jam ad prodeundum in lucem in procinctu est, post situm convenientem (alias frustra ages) ut facilius ex utero egrediatur, promovere dicuntur. Vocantur illa communiter *dolores parturientium provocantia*, Weh-befordrende Artzeneyen. Quæ non proprie a recensitis differunt; sed seliguntur ex eorum numero quædam, vi carminativa, aromatica & balsamica præ ceteris pollentia. A nostro compilatore indicis Schröderiani commendantur sequentia: *Folia cardiacæ, calcatrippæ, calaminthæ, dictamni, epaticæ stellatæ, hypericonis, malabathri, manubii, pastinacæ silvestris, pulegii, roris solis, verbenæ. FLORES calthæ, tunicæ, croci, hypericonis, jasmini, spicæ, stamina liliorum alborum. RADIX liliorum alborum. Cinnamomum. Semen milii solis. FRUCTUS chermes, ficus, ossa dactylorum, baccarum lauri. Viscus salicis. Gummi galbani. Resina myrrhæ. Boletus cervinus. Animalia: lapis bezoar, cervi lacrymæ, hominis secundina, cutis, urina leporis, oculi & tali serpentis exuviæ, jecur, accipitris excrementa, anguillæ epar, cimex, vulturis fimus & pennæ; lucii mandibula, lapis ætites, rubinus, jaspis, smaragdus, specularis, glosso petræ, mercurius, oleum guajaci, jasmini, nigollæ, aqua imperialis, cordialis, florum caprifolii, Q. Q., vini, borax.* Confer huc *Wedelii Amœn. Medic.* & alios: qui inter alia dicit: *quæcunque stimulant, & stimulando*

Fœtum pellentia.

Partum pellentia.

mulando dolores promovent, partum facilitant. Sed miror, cum & flores jasmini, ejusque oleum, (neſcio an externe vel interne) hic relata ſint, non alia itidem odoramenta Italorum ex floribus & fructibus facta, utpote *ex flore hyacinthi, narciſſi, junci, folii, tuberoſi, naphæ, citri, eſſentias bergamottæ, di cedro, nerolæ millefiori*, & ſimilia, ſimul non commendata fuiſſe, forte quod plures hyſtericarum, ejusmodi fragrantia, (cur autem jasminum & zibethum, & alia ex dictis) ferre non poſſint. Et quamvis campus iterum ſat amplus remediorum ad partum facilitandum, ſive fœtum ad exitum jam pronum, iterum nobis offeratur; attamen alia quoque extra ſuperius recenſita, a variis authoribus ſuperaddita reperiuntur: Ex gr. *Succinum, ejus eſſentià & oleum atque ſal volatile, cinnabaris vulgaris & antimonii, raſura cornu rhinocerotis, glacies Mariæ, fruſtum cutis tygridis externe, & cor gallinæ nigræ*, (cur autem non & albæ vel verſicoloris?) *Siniſtræ coxæ alligatæ, radicæ cucurbitæ, renibus appoſitæ, urticæ, ſperma ceti, oleum coryllini ligni, ſpiritus ſecundinæ, pſeudomelanthium, radix fraxinellæ, ſemen aquilegiæ, pulvis ægagropilarum, teſticuli eqvi*, & neſcio quæ alia. Ut tamen taceam, quæ a mulierculis ut plurimum ſuperſtitioſis, v. gr. *tibialia & caligæ mariti*, (forſan tantum veri, non præſumtivi patris,) *urina ejus epota*, & ſimilia commendari ſoleant. Sed judicent prudentiores Practici, an non fœtu bene ſituato, quod autem non a Medici, vel medicamentorum ope, ſed ſolum ab obſtetricum encheiniſi, & ipſa ſolummodo natura, quicquid huc conferri poteſt, dependet, totum id quod remedia contribuere poſſunt, ſolis analepticis & cordialibus, junctis antiſpasmodicis & interdum anodynis, (cum non una vice expertus fuerim, a propinato uno granulo laudani, confortantibus admixto, poſt placidum horulæ tantum ſomnum ad reparandas aliquatenus vires, imprimis ſi obſtetrix, præpropero ad labores impulſu, miſellam ante defagitaverit, felix puerperium deinde ſucceſſiſſe) tribuendum ſit: & proinde ſi non cuncta, ſane maximam partem plura illa ſuperius & ſæpe mirum in modum commendata, atq; (bono ſc. non nunquam ſubſequente eventu) fallacia non cauſæ huc relata, ſpecioſum hunc titulum, fœtum pellendi, vel partum promovendi,

Fœtum bene ſituatum ipſa natura promovet.

vendi, promerita sint? ut tamen dolores illos in partu, si aliquando illos promovere visum fuerit, felicius ab istis confortantibus v. gr. *aqua cinnamomi*, *melissæ*, *pulegii*, *spirituosis*, *vino aromatites* calide hausto & similibus, cieri solere, quam ab illis ipsis sic dictis pellentibus.

Quæ jam *lochia suppressa* ducere, cum aliis emmenagogis; quæ autem secundinas retentas pellere præsumuntur, cum eis, quæ ad partum provocandum superius enarrata sunt, fere coincidunt: quorum cum par sit ratio, hinc eadem seorsim enumerare, supervacaneum duco. Cui autem lubuerit, ista ex indice Pharmacopœjæ Schröderianæ supra citato, aliisque authoribus facile cognoscere poterit. Lochia & secundinas pellentia.

Remedia denique, *pro foetu in utere mortuo expellendo* commendata, fere cum istis, *quæ pro mola exterminanda* laudantur, conveniunt. Consistunt autem ex fortissimis illis, ex uterinis sic dictis pellentibus. Noster præcensitus index Schröderianus sequentem iterum supellectilem tradit. Scl. *FOLIA anagallidis & aquas*, *artemisiæ*, *calaminthæ*, *levisticæ*, *nasturtii hortensis*, *nepthæ*, *sabinæ*. *Flores spicæ*. *RADICES angelicæ*, *cyclaminis*, *fumariæ bulbosæ*, *levistici*, *bryoniæ*. *SEMINA*, *levistici*, *bini*, *nasturtii hortensis*. *Boracem*, *bdellium*, *asini ungulas*, *cervi lacrymas*, *equi stercus & ungulas*, *secundinam*, *oleum guajaci & nigellæ*, *quinta essentia vini*, *tinctura nubini*. Quibus ab aliis superadduntur: *Fel bovis*, *radix filicis*, *fœminæ trochisci de myrrha*, *sagapenum*, *galbanum*, *pulpa colocynthidis*, *oleum ligni Heraclii*. *Suffumigium uvarum putridarum*, *pessus ex radice juglandis &c.* Laudant hic quoque authores istar arcani, *testiculos equi exsiccatos* I. Scr. ad ½ drachm. *qui licet menses non pellant* (addentes) *in fœtu tamen*, *vel vivo vel mortuo*, *molæ & secundinis mire prosint*. Ego singularem hic effectum non inveni; & quamvis non nunquam exclusio fœtus secuta fuerit, aliis tamen remediis, eo tempore simul exhibitis, facilius, quam huic specifico adscribenda fuit. Aliquando Fœtum mortuum pellentia item molam.

do nullas mutationes in corpore ægrotæ animadvertere licuit, utut dosis aliquoties repetita fuerit. De quibus etiam Ludovici in Pharmacia tit. de uterinis animalibus, his verbis: *Hinc autem emissariorum equorum patrimonium alias ad menses & hystericas suffocationes inhabile, nec adeo [ac non nullis dicitur] in partu & ad secundinas semper præsens. Hartmannus in Praxi chym. c. 229. mire extollit, oculos leporis mense martio capti, cum pipere exsiccatos & vertici alligatos, qui fœtum sive vivum sive mortuum, ut & secundinas tam valde exigunt, ut etiam vulvam propellant ni amoveantur.* Certe mira virtus, per sympathiam forte pellens, & cum remedio illo Ceylanensi (de quo infra) raro, si credere fas est, sed futilitatem hujus jam olim *Ludovici cit. l.* annotavit. Tædet pharmaca recensere, quæ adhuc hinc inde ab authoribus laudata reperiuntur. Videbit autem quilibet, cui talia & similia experiri volupe fuerit, & ex effectu plerumque infido edocebitur, quam infirmo incedant pede.

Totum opus naturæ. Nisi enim αὐτοκράτεια naturæ per conatum proprium, atque supervenientia tormina, sive dolores parturientium, fœtum mortuum, secundinas &c. expellat, vel ceteris paribus ille opera manuali deinde extrahatur: nihil certe & folia anagallidis, arthemisiæ, fumariæ, linum ejusque decoctum, asini & equi ungulæ, ac stercus, cervi lacrymæ &c. ad expellendum præstabunt.

Objectio. Sed de reliquis & quidem fortissimis insequentibus objici hic poterit: *Ab exhibitione nihilominus horum uterinorum quotidie suos effectus observari*, nempe menses antea obstructos iterum effluere; fœtum tam mortuum quam vivum, secundinas item & molam propelli, doloresque parturientium provocari, die Wehen werden befördert, si autem effectus ille aliquando non sequatur, id non tam ex defectu virtutis medicamentorum, sed quod indispositis & contra methodum exhibeantur, provenire, quandoquidem & in aliis morbis remedia, in debito modo data, effectum non sortiantur &c.

Responsio. Ad hæc respondeo, quod primo fluxum illum menstruum attinet, ad illorum condebitam evacuationem communiter requiri solere fluxilitatem & certum sanguinis orgasmum, & si hæc imminuta

minuta fuerint, etiam hunc fluxum imminui vel etiam ſupprimi. Fluxilitas autem hæc, ſanguini, per alia medicamenta, etiamſi pellentia non ſint, conciliari poteſt. Imo & oculi Cancrorum, ſimiliaque abſorbentia & ſalia alcalica fixa, (nam volatilia huc quoque trahuntur) imo ipſum Nitrum, (licet hic male audiat, forte ob imminutionem orgasmi ſanguinis) atque potus largior & ſimilia id ipſum præſtant, quæ tamen inter emmenagoga non numerantur. Ipſe quoque *Excell. Wedelius Amoen. Medic, L. II. c.* 11. *de emmenagogis ſtatuit : illa principaliter & proprie loquendo ſanguinem non movere.* Orgasmum autem ſanguinis concitare poſſunt, omnia aromatica & ſpirituoſa etiam huc non relata, imo ipſum vinum generoſum, quod etiam hac ratione inter pellentia & per conſequens abortiva, numerandum eſſet. *Excluſio* autem *ſecundinarum*, *foetus*, *molæ* &c. ut plurimum *opus præcipuum naturæ eſt*, dum modo confortantibus aromaticis, item antiſpasmodicis, ad demulciendas & roborandas fibras nerveas, a vigiliis & labore diuturno, debilitatas ac relaxatas, item non nunquam ſpasmodicas irritatas, &c. (cum non raro, ab aſſumtione horum, dolores in partu, qui jam remiſerunt, ſtatim iterum ſe ſentire faciant) ſuccurratur. Etſi Medici Practici ad omnes circumſtantias, effectu aliquo ab exhibitione medicaminum ſuorum ſecuta reſpicerent, unde ſcil. ille effectus? *an ab ipſo vigore naturæ? an ab hoc, alio vel tertio remedio vel ſolo, vel inter ſe mixtis?* an autem alia forte cauſa externa, &c. non adeo frequenter fallacias cauſæ non cauſæ committerent. Non raro ab ægrotis remedium aliquod datum abſumtum ſimuletur, cum tamen illud vel plane non, vel aliud ſæpe diverſum aliunde datum, aſſumſerit, ubi interea a Medico effectus ſecutus ſuo tantum medicamento adſcribitur. Sed dentur in ſequentibus plura.

Medici ad ad omnes circumſtantias reſpicere debent.

CAPUT II.

De abortu ejusque cauſis.

Antequam ad ultimam claſſem, quorſum ſcil. noſtra principalis intentio, nempe *de ipſis medicamentis abortivis*, accedamus, neceſ-

necessarium visum est, de abortu ejusque causis imprimis internis aliqua præmittere.

Definitio. Definiunt autem *abortum* sive *Aborsum*, *quod sit intempestiva, id est, ante legitimum pariendi tempus, fœtus imperfecti, sive vivi, vel non vitalis, exclusio, procedens a causis violentis, in- & externis. Ideoque juxta Sennertum abortus significat fœtum quasi non ortum, vel frustra ortum: quia fœtus abortivus, vel abortu editus, vel non nascitur vivus, vel ante justam perfectionem vivus quidem in lucem editur, vita tamen brevi fruitur, vel valetudinarius existit.*

Causæ proximæ. Inter *causas ordinarias abortus*, alia Pathologicis *immediata & proxima dicitur*, *præternaturalis, orificii uteri apertura*, quoad orificium internum, quoad fundum vero, sive cervicem, coarctatio. Dum nimirum fibræ, atque tunicæ ipsius, a quadam materia acri, aut vellicante irritata, aut ab onere premente, v.gr. in fœtu posthac mortuo, vel humoribus excrementitiis ibidem coacervatis, relaxato, distenduntur aut contrahuntur; ita ut placenta uteri annexa facile decedat, atque per hanc portam apertam, cum fœtu adhærente exitum moliatur. Id quod quidem certissimum: nam valvis ædificii obseratis, nemo facile e domo exire poterit, nisi forte per fenestras in plateam se præcipitem dare voluerit, quod tamen in fœtu, ubi alius non datur exitus, impossibile.

Præsupponitur exclusio fœtus. *Ad abortum etiam stricte sic dictum, exclusio foetus præsupponenda*: itaque fœtus putrefactus, (uti exempla referuntur) induratus, aut exsiccatus ante exclusionem, abortus nomine non indigitatur. Sic quoque ad abortum expresse requiritur, ut ante legitimum pariendi tempus expulsus vel mortuus sit: alias enim simpliciter fœtus mortuus, non abortus nominatur.

Causæ remotiores. Inter *causas vero remotiores* recensent varias; & quidem alias *præternaturales*, & *naturales*.

Præternaturales iterum distinguunt *tum a parte matris*, *tum a parte foetus*.

Naturales. Ex his ponitur primo loco, *plethora* sive abundantia sanguinis; imprimis in fœminis habitioribus, copiosasque excretiones

menstruas

menſtruas pati conſvetis. *Quam tamen ſolum*, ceteris paribus, partibus imprimis uterinis bene conſtitutis, *rarius tantum abortum cauſari crediderim.* Cum ipſammet naturam quantitatem hanc ſanguinis, parcioribus excretionibus menſtruis, etiam in graviditate, ſimilibusque hæmorragiis, ſine ulla noxa accidentibus; item febricula quadam, aliisque modis diminuere, experientia teſtetur. Quandoquidem non rarius mulieres dentur, (uti jam ſuperius notatum) quarum quædam ordinario per totum geſtationis tempus, quædam ad dimidium, quædam indiminuta, quædam etiam inconſveta quantitate evacuationes has menſtruas, feliciter pati ſoleant.

Abortum tamen exinde contingere, non plane negaverim; cum apud authores exempla ſimilia proſtent. Quando enim etiam in fœminis iſtis plethoricis, in quorum primis præcipue graviditatis menſibus, menſtrua profluere, & per aliquot menſes, imo ad medium, non nunquam geſtationis totum tempus, fœtu optime ſalvo, continuare ſveverunt, tum ſupprimuntur, abortum in promtu eſſe, obſervatum eſt.

Ex cauſis etiam *naturalibus* accuſari ſolet *ætas*, vel nimis tenera, vel provectior: nempe cum fœminæ tenellæ, & delicatiori corporis habitu præditæ; de quibus *Hippocrates, Sect. V. aph.*44. *quæ præter naturam tenues, abortiunt, donec habitiores evadant*: quia illæ perferendis anomaliis, quas graviditas & conceptus excitare ſolent, impares exiſtunt, neque etiam ſufficiens fœtui alimentum præbere posſint; imprimis ſi viris robuſtioribus, lacertoſis & proceræ ſtaturæ jungantur; idque dum primo pariunt: *Id quod tamen non ſemper quoque verum*, dum quotidie obſervare contingat, tum fœmellas teneriores & juniores, tum etiam provectioris ætatis, ſatis bene & juſto tempore fœtus ſuos in lucem edidiſſe. Huc etiam referri poteſt, *diſpoſitio hæreditaria.* Dantur enim familiæ, in quibus abortus frequentiores quam in aliis contingere conſveverunt. *Vide Schenck. obſerv. l.* 4. Sed hæc communiter ſtatum morboſum præſupponere ſolent; de quibus infra pluribus.

Huc etiam pertinent *temperamenta*, ſive conſtitutiones naturales: uti (1) *frigidum & humidum*, ſive commmuniter ita dictum *phlegmaticum*: quando ſc. ob pauperiem activitatis ſanguinis, parti-

ticulæ lentæ, viscidæ & crassæ, imprimis circa uterum, ceu communem sexus sequiori sentinam, cumulantur, partes ejus lubricas & flacidiores reddunt, vasorumque, sanguinem ad uterum devehentium, orificia & extremitates obsident & obstruunt, atque sic secretionem lymphæ purissimæ, sive succi alimentarii impediunt; unde tonus uteri destruitur, conceptio impeditur, illaque facta fœtus alimento privatur, aut præter flacciditatem & laxitatem partium facile exturbari potest. Et quidem *hoc ut plurimum causa communior ad abortus dispo-„nens esse solet*; & si talis constitutio, partiumque simul uterum con-„stituentium flacciditas adfuerit; tunc aliæ causæ occasionales, alias „innoxiæ, indifferenter tamen inter abortiva relatæ, facillimo nego-„tio aliquid huc conferre & abortum provocare possunt." Sic *novi* dicit *Forestus l. XXVIII. obs. 66. aliquot mulieres, humidas habentes matrices, decima tertia vice, ex tenuissima causa abortiisse.*

Temperamentum cholericum quoque, præsertim partibus uterinis, uti dictum, non debite constitutis, *frequenter etiam ad abortum disponere* per experientiam notum est: ita ut Germani proverbio vulgari dicere consveverint: Sie kan keine Kinder kriegen, sie ist zu böse. An autem *sanguineum*, solum idque sine plethora, in mulieribus, quod cetera sanis, & bene constitutis, illas ad abortum, ita simpliciter proclives reddere possit, superius, cum de plethora mentionem fecimus, dictum est. *Obesiores* autem, quia ut plurimum præter plethoram humoribus excrementitiis, viscidioribus, & ut vulgo dicitur cacochymia pituitosa, vel phlegmatica abundant, earumque partes uterinæ laxiores esse solent, huic affectui magis obnoxiæ observantur. Proinde *Hippocrates Sect. V. Aphoris. 46. Immodice crassas non concipere, nisi ad mediocrem corporis habitum redeant.* Item *Aphoris. 45. Quæ mediocriter corupulentæ abortum faciunt, 2do mense aut 3tio sine occasione manifesta, iis cotyledones lentoris sunt plenæ, nec pro pondere foetum continere possunt. Quod tamen non semper experientia verificat,* nisi & ultimum requisitum nempe repletio cotyledonum lentore, simul adfuerit. His etiam *temperamentum particulare uteri*, addere solent, v. gr. *plethorem particularem uteri*, a sanguine circa uterum in quantitate stagnante: item *constitutionem ejusdem particularem*, (uti loqui amant) *frigidum & humidum, ejusque statum nimis lubricum*, oblaxa-

ta

ta a pituitosis istis, (ita dictis) humoribus, ligamenta, aliasque partes, accedentibus humoribus istis in utero coacervatis & sæpe acrimonia sua fibras ejus ad excretionem stimulantibus, ita ut sustinendo foetui impar evadat.

Ex causis autem non naturalibus, referri huc consueverunt, *quæ ex errore diætæ & sex rerum ita dictarum non naturalium in corpore humano alterationes, atque hoc modo varias ad quoslibet affectus dispositiones, producere possunt*: quæ vulgo sunt: (1) *Aër*; (2) *cibus & potus*; (3) *motus & quies*; (4) *Somnus & vigiliæ*; (5) *excreta & retenta*; (6) *animi pathemata*. Ex quibus (1) quantum *aër*, (sive fluidum illud, in quo & a quo vivimus, quique ambiendo & inspirando, vario modo corpora nostra afficit, quantasque mutationes aëris, & in corporibus humanis mutationes producant, superfluum est hic enarrare, cum illud satis superque pateat: Adducunt hic communiter *Aphor.* 12. *Hippocrat. Sect.* 3. *si austeralis hyems & pluviosa, & clemens fuerit, Ver autem siccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in Ver incidit, quavis occasione abortiunt. Quod autem, an universaliter verum, valde dubitandum*: alias enim omnes fere, vel pleræque mulierculæ, tali aeris dispositione existente qualibet occasione vel semper, vel ut plurimum talia paterentur; atque proinde plures meretriculæ, ejusmodi constitutiones tempestatum sibi optarent; quod tamen veritati non consentaneum atque experientiæ: Attamen constitutiones ejusmodi aëris nonnunquam dari, quibus frequentiores abortus, quam aliis temporibus contingunt, experientia & observationes Medicæ testantur. *Vid. Disputat. Excellent. DD. Fickii de Abortu epidemico. Jenæ* 1697. *habitum.* Sic quoque de aëre pestifero & infecto Authores loimographici, testantur. Inter alias *Pareus l.* 21. *c.* 5. *de peste*, dicit: *Quod si mulieres vulgo abortire cernantur, hausto scl. & continenter inspirato aëre vaporoso, corrupto, & foetui vitæque principiis obnoxio, quo suffocatus foetus mox excidit, jamjam imminere pestem scire liceat.* Id quod & alii Authores tempore pestis contingere solere observarunt. Ex aliis adducere libet ea, quæ referunt *literæ observationum, circa pestem Dantiscanam Ann.* 1711. *editæ p.* 43. *Ad quæstionem: quid circa gravidas & embryonem observatum?* R. Alle schwangere Frauen waren gefährlich daran; weil sie erstlich die Pest viel eher als andere bekamen; und

Causæ non naturales.

und alsdann Alle, ne unica quidem excepta abortirten, die impraegnatio möchte kürtzlich, oder schon lang zuvor geschehen seyn: und zu andern, weil sie allzufrüh entbunden wurden, ob sie schon nicht an der Pest kranck, sondern gantz gesund waren, dann zu solcher Zeit, ging keine eintzige Frau ihre Zeit vollkommen zu Ende; alle gebahren entweder in 6ten oder 7ten Monath; auch am 9ten wann sie auch im übrigen sich wohl befunden. Und das schadete der Frucht nicht, wann sie sonst nur wol abgewartet, und debitè verpfleget wurden. Ich für mich alleine habe wol 20 Kinder gesehen, & adhuc viventes, die im 7ten und 8ten Monath zur Welt kommen, und gantze 4 Wochen noch, als für tod lagen, ehe sie Mutter-Brüste saugen konten; sie müsten aber sehr warm gehalten, und nicht aus der Ruhe gestöhret werden. *Nempe: omnes gravidæ magno in periculo versabantur, quia peste citius prae aliis corripiebantur, atque omnes, [ne unica quidem excepta] abortus passae fuerint;* (id de peste actu jam laborantibus suspicor, vel quantum forsan ad Authoris notitiam pervenerit,) *non obstante, an ante breve, vel longius tempus ingravidatæ fuerint. 2do, quod ante legitimum tempus peperentint, licet illæ non actu peste infectæ decubuerint, & alias integra valetudine fruerentur. Quia illo tempore nulla foemina tempus ordinarium partus attigit, sed omnes vel 6to, 7mo vel nono etiam mense enixæ sunt, licet quando cæteræ satis bene habuerint. Idque partui non nocebat;* (*de 6ti mestri tamen dubito,*) *si tantum debita ejus cura habita fuerit. Ego ipsemet plusquam 20 infantes vidi 7timo vel 8vo mense natos,* (nisi adfuerint forsan errores calculi,) *qui per mensem, mortuorum instar jacuerant, antequam mammis maternis admoverentur; oportuit tamen illos, semper calide fovere, nec multum e somno turbare.* Hæc ille: An autem ista in omni genere pestis, & alibi locorum etiam observata fuerint, non ausim determinare.

Huc etiam referri possunt *odores*. Notum enim est, quasdam mulieres, odoribus suavioribus delectari, atque recreari, sicut viri, e contra foetidis ac graveolentibus lædi, uti exempla prostant abortuum ab odore elychnii candelæ, cloacæ, paludum & similium, concitatorum: atque vice versa adhuc plures dari, quæ

odores

odores gratiores, imo ipſorum florum ferre non posſint, atque exinde in pasſiones hyſtericas conjiciantur. Affectus autem hyſtericas lipothymias, convulſiones, variaque alia gravia ſymptomata conſequi poſſe, ſatis conſtat, atque propterea, etiam aliquando abortus ſequi poſſe, non facile negandum: attamen hæc, quæ aliquando propter idioſyncraſiam, aliasque diſpoſitiones evidentiores, quibusdam rarius & inter tot centenas, vix uni contingere obſervatum erit, ſtatim inter cauſas generaliores referre, ad modum abſurdum foret; cum nonniſi tantummodo, inſtar cauſæ occaſionalis vel accidentalis, quæ proprie dicendo non vera eſt cauſa, ſe habeant; ſed de his in ſequentibus plura. Et ſimiliter, *quæ de aëre calido, frigido humido, ventisque variis*, huc communiter referuntur, dicendum. Nullus enim datur annus, imo aliquando vix menſis præterit, ubi ejusmodi variationes aëris & ventorum non ſint obſervandæ; cum tamen tot millenæ utero gerentes, feliciter legitimum puerperii tempus, absque ullo metu vel indiciis abortus, attingant.

Cauſæ rarius effectus producentes, propriæ non ſunt veræ cauſæ.

Ex (2da claſſe) *cibus & potus* quoque hic culpari ſolent; quando nempe vel pravæ ſunt conditionis, aut juſta quantitate, non ingeruntur; quando ſcl. gravidæ cibos noxios, abſurdosque expetunt; in nimia quantitate, quam ut eis digerendis ſtomachus par eſſe posſit, ingerunt; unde cruditates, febres, vomitiones, plethora, (de qua ſupra,) oriuntur: ſi autem in non juſta quantitate aſſumptus fuerit, (quod tamen rarisſimum,) foetui ac matri ſufficiens alimentum non præbebit. Quod etiam *de potu* ſtatuunt, cum vel actu frigidus, vel refrigerans, item calefaciens, uti muſtum, vina generoſa, (de quibus jam mentio facta,) ſpiritus vini, cereviſia crasſior & fortior, & ſimilia, copioſe ingeſta fuerint: Sed quis non videt, *hæc quoque, vel inter cauſas vel plane nullas, vel remotisſimas*, occaſionales, per accidens, & rarius contingentes tantum referri poſſe, quæ verarum cauſarum nomen vix promereantur. *Communisſimi multique errores in medicina commituntur, cum aliquis vel cibus, vel potus, vel etiam medicamen aliquem effectum produxiſſe obſervata ſint, deinde ſine notata perſonæ qualitate, temperamento, aliaque obſervanda circumſtantia, huic indifferenter illum attribuunt, atque poſtea eundem in aliis quoque præſtare credunt, quæ*

postea nec in centenis, imo vix millenis aliis subjectis eodem vel simili modo subsequuntur. Exemplo rem illustrabo:

Persona nobilis quædam alias laudabilis constitutionis, eusorca & sanguinea, ex errore diætæ, in diarrhoeam satis diuturnam incidit, cui adstantes mulierculæ, pilulas illas famosas Becherianas sive Hallenses dederunt, & per aliquot dies earum usum continuare jusserunt, credentes per earum usum causam simul diarrhoeæ evacuandam fore, & sublata hac causa etiam effectum hujus sublatum iri; imprimis cum Author earum usum in similibus affectibus suaserit, illæ quoque, sed cœteris paribus, hic aliquando non inutiles judicandæ; sed exinde diarrhoea indies aucta, insequente febre continua, appetitu viribusque insigniter prostratis. Quædam ex præsentibus, ægræ, unum vel duo pruna Armeniaca, (des abricots) clam porrigit, sed insequenti die, post eorum usum, febris maligna petechialis insequitur, cum phrenitide, & convulsionibus, & post aliquot dies mors. Quis itaque sanæ mentis homo non videt, hic causam principalem hujus morbi & mortis fuisse errorem diætæ, ex qua humores illi acres, fermentiscibiles diarrhoeam, febrem ceteraque symptomata producta fuerunt, & similia, quæ hic secundum stylum Medicum accusari possent. Sed ecquis, pro causa mortis, pilulas has balsamicas alias in suo genere satis bonas & polychrestas (licet, non nisi abusive, pro universali medicamine in quibusvis morbis, promiscue offerendo, venditentur,) quæ in similibus aliisque affectibus, quotidie cum successu exhibeantur; & duo hæc pruna, (nempe in hac parva quantitate & dosi,) etiam in morbis sine notabili damno sæpe commendantur; facile habebit? Hic autem propter circumstantias particulares, non nisi inter causas per accidens ob intempestivam assumptionem referri possent, vel vix illud nomen promereri. Certe hac ratione, nihil in rerum natura reperiri poterit, cui nomen causæ alicujus morbi, abortus, imo mortis ipsius imponi non possit. Idem quoque Judicium esto & de remediis, ita dictis abortivis, quorum infra mentio facienda erit. Sic foemina quædam gravida, cæterum satis sana, fructus hortenses, v. gr. fraga, cerasa, pruna &c. in quantitate comederet, vel etiam vina, aut ipsum

Illustratio ab exemplo.

etiam

etiam vinum aduſtum immodice hauriret, nec ab eorum uſu nimio ſibi temperaret; incidet illa facile in vomitus, febrem, imo febrem malignam; ſi nec tum ab illorum aſſumptione abſtinuerit, (prout ſimilia exempla dantur,) majora, gravioraque ſymptomata enaſci poterunt, ſequi poteſt abortus, imo ſic nec dum metas gulæ poſuerit ipſa mors. Sed quis hic fraga, ceraſa, pruna, vinum, vel vinum aduſtum in numerum abortivorum, vel venenorum ponet? cum aliæ meretrices, vel etiam aliæ mulieres gravidæ vel data opera, vel guloſitatis ergo, vel etiam forte fortuna, varia etiam indigeſtibilia, porcorum ad inſtar devorabunt, inſimul potulentis quotidie ſe ingurgitabunt, idque ſine ulla inde obveniente noxa.

Sequitur (3tio) *motus & quies.* *A quiete* quidem non adeo evidens periculum metuendum. *Motus* autem vehementior, totum corpus nimium concutit, motumque concitatiorem ſanguinis, & fluidorum noſtrorum, eorumque orgasmum excitat, ſpiritus animales disſipat. Ita *exempla proſtant, a nimia ſaltatione, equitatione, lapſu, ex elevatione oneris, abortus fuiſſe excitatos.* Quoniam autem multa alia & infinita exempla adſunt, nihil tale exinde ſecutum fuiſſe; idcirco id tantum in ſubjectis ubi diſpoſitiones iſtæ ſupra recenſitæ, & infra dicendæ tantum adfuerint, evenire facile credendum. Dantur etiam plurima exempla, perſonarum ſuſpectarum, tale quid ſtudio procurante volentium, quæ pondera gravisſima portaverunt, ſaltarunt, aliosque ſimiles motus concitaverunt, ſine tamen ſubſecuto illo quem ſperabant, abortu. In aliis autem delicatioribus ſubjectis, & quæ ut ante dictum, per diſpoſitionem uteri internum, ſimilemque, ex leviori cauſa ardore, vento, aëre humidiori, terrore in ſomnio, ſimilibusque abortire poſſunt, mirum non eſt, ſi & ab ejusmodi violentioribus exagitationibus idem patiuntur, ſecundum illud vulgare: *duo cum faciunt idem non eſt idem.* Itaque & hæc non tam ſimpliciter, pro cauſa propria, ſed tantum accidentali habenda ſunt. *Verbera graviora attamen*, imprimis abdominis, circa partes vicinas uteri, quibus ipſe foetus lædi, vel vulnerari poteſt, abortus indubitatius ſequi ſolet, idque eo citius & facilius, quo læſiones illæ

graviores, vel periculosiores fuerint, ex quibus sœpe ipse utero gerentes in evidens vitæ periculum conjiciuntur. Hinc vidi mulierem gravidam ab alia fustibus male tractatam, quam hæc in terram projecerat, imo calce pedum, ventrem percusserat, post aliquot dies foetum imperfectum mortuum, hinc inde lividum, & vibicibus notatum edidisse. *Sic Welsch de lethal. vulnerum cap.* 13. *pag.* 117. 118. *abortum ex calcitratione in abdomen notavit. Et Benedict. Sylvaticus consil. & resp. Med. cent. III. consil. VIII. abortus ex fortuito lapsu, triduo post per frusta ejecti, meminit. Item Excell. Wedel amoenitat. med. lib. Sect. III. c.* 10. *abortus a choreis totius noctis*; item a lapsu de Scala cum duarum costarum fractura.

Casus.

Minus autem (4) *a somno & vigiliis*, subjectis in statu sanitatis constitutis Metuendum. Licet enim *somnus immoderatus*, spiritus torpidos faciat, humoresque xcrementitios generet, *vigiliæ* e contrario *nimiæ*, spiritus exhauriant, viresque prosternant: ubi tamen affectus soporosi, vigiliæque immoderatæ, quæ inter morbos numerari possunt, defuerint, raro ex illis solis abortus sequitur, natura ipsa, vias errores tales corrigendi inveniente, insomnenique noctem, placidiori altera, & somnum aliquando protractiorem una vel altera horula vigiliarum compensante.

Jam procedimus (5) *ad excreta & retenta*: quæ quando rite se habent, statum sanitatis, & e contra quando imminuta, vel nimia, morbosum præsupponunt. Sed de morbosa constitutione, in causis præternaturalibus aliquid dicemus. Fluxum tamen menstruum, in plethoricis & assuetis vel solito modo, vel parcius provenientem, non nocuisse, imo profuisse supra notavimus. Et hic non omnem hæmorrhagiam, sed tantum ex fundo uteri provenientem periculosam esse dicunt. Id circo ad omnes similes circumstantias probe attendendum.

Sequuntur jam (*6to & ultimo loco*) *animi pathemata*, ex quibus omnibus tamen non, nisi tria forsan, in considerationem trahi merentur: ira, mœror & terror. De *ira* jam superius, cum de temperamento cholerico mentio facta, aliquid diximus. *Ira* enim, cui ordinario præ viris fœminæ magis indulgent, *quantam*

vim

vim in corpus humanum habeat, quotidie experimur; ita ut in subjectis, imprimis ob alias causas ad abortum dispositis, facillime abortus provocare possit. Turbatis enim & confuse inordinateque motis spiritibus animalibus, massa simul sanguinea turbatur, & inordinate movetur, imo tota corporis machina in confusionem abit: quapropter etiam uteri fibris, spasmodico motu irritatis, orificium ejus aperitur, fundus vero contrahitur, inque fœtum ipsum tyrannidem exercendo, quem motibus quoque spasmodicis, vel epilepticis, corripi verisimile apparet, ille vel necari, vel vivus exturbari potest. Quod quidem de personis, uti dictum, per alias morbosas constitutiones ad id dispositis verum est, robustiores autem & impune irasci, imo & ut in inferioris sortis mulieribus contingere solet, pugnis quotidie contendere, & tamen feliciter parere videmus. De *mœrore* res anceps est. Insignem & gravem tristitiam, symbolum suum, ubi jam dicta dispositio adest, hic conferre posse non dubito: alias vero præter opinionem & desiderium imprægnantur, toto fere gestationis tempore tristes, depresso animo, ejulantes, dolentesque videmus, sine ullo tamen, quem forte lubenter optarent, sequente abortu.

De terrore autem, imprimis *panico*, paulo clarior res est: cum enim exinde spiritus animales ita subito deprimantur, ut deliquia animi, aliique graves affectus inde oriantur; hic mirum non est & abortum subitaneum sæpius consequi posse. Prostant enim observationes, a solo tonitru graviori, gravidas abortus perpessas fuisse. Sic *Michaelis prax. clin. spec. CXXIII. de abortu* testatur *aliquando mulierem gravidam, cum in fontem in aquam cadentem conspexisset, illico abortum fecisse, eundemque effectum in alia bombardæ explosionem, in alia vipræ transitum, in alia subitam consternationem, præsertim tempore pestis grassantis &c. produxisse.* De abortu externo vide etiam *Littmann. Medic. for. Cent. II. cas.* 88.

Referri huc etiam solet *Venus frequentior*: quod autem vita personarum suspectarum & meretricum, quas sæpe inscio patre ingravidatas videre licet, dubiosum facit. Et quota quæso maritatarum, imprimis, quæ natura salaciores sunt, aut potentem nactæ maritum, sibi, durante tempore graviditatis, ab illa temperat.

Argui hic etiam solet *arctior thoracis & ventris, per vestes rigidas, adaptatis esserculis ligneis, vel eburneis* (die Schnür-Leiber) *constrictio*: de plurimis tamen, clam in gravidatis mihi notum est, eas ad graviditatem occultandam, abdomen fasciis quam arctissime constrinxisse, sine ulla aliqua fœtus noxia, cum aliquali matris, ut deinde confessæ sunt, incommodo.

Casus. Antequam ulterius pergam, commemorandi mihi hoc loco veniunt casus, quos bis accidisse mihi certo constat. Nempe viros, fœminas a se ingravidatas, nudas & sine ullis vestibus, noctu sub antlia, producendis aquis constructa, (Wasser-Pumpe) collocasse, atque ita gelida aqua nudum eorum corpus perfudisse, & hoc negotium aliquot noctes sequentes per integras horas reiterasse, sub certa spe, illis hac ratione abortum concitatum iri; nullo tamen sperato successu. Quæ me satis in sententia mea confirmant, in fœminis sanis illorumque partibus uterinis bene constitutis, difficillime etiam a causis illis non naturalibus externis abortus contingere posse.

Causa contra natur. Jam ut & de rebus *contra naturam*, sive quæ hic inter causas abortus, *a nobis provenientes*, aliquid dicamus. Sunt illæ scilicet *morbi plerique*, quibus gravidæ obnoxiæ esse consveverunt.

Morbi. De quibus in genere notandum, *morbos leviores*, imprimis, quæ robustioris sunt constitutionis, solos raro abortus efficere solere. Qui autem *graviores & sentici* sunt, matrem affligendo fœtum simul afficiunt, nutrimentum illi laudabile subtrahunt, & morbos communicant, atque eum sic interimere, vel debilitatum vivum abortu eliminare possunt. Id quod etiam rationi conforme; *matre enim morbo graviori aut diuturniori debilitata, fœtus quoque tandem debilior evadit*: corrupta deinde per longitudinem vel vehementiam morbi, massa sanguinea matris, illud quoque fœtui communicatur, atque nutrimentum ejus vel corrumpitur vel subtrahitur. Et in specie, *quoad particulares uteri affectus relaxatio illa uteri præternaturalis, levitas superficiei interioris, ab obliniente eam viscida mucagine, proveniens*, cujus jam ante mentio facta ob fibras emollitas & flaccidiores redditas, *causa esse solet abortuum frequentissima*; ubi mulieres interdum vel ex nulla

Causa abort. frequentiss.

alia

alia vel ex levisſima occaſione, fœtum dimittere & abortum pati ſolent, id quod extra ſuperius commemoratos caſus, & in cachexiis, item hydrope uteri non eſt ſolenne.

Referunt huc quoque *vitium conformationis ipſius uteri*, anguſtiam nempe ejusdem, cum ſe ſatis extendere, & fœtum, adjuſtum usque pariendi tempus, retinere nequit; *Flatus* itidem *uterum diſtendentes*, qui & aliquando graviditatem mentiuntur, & ſemper humores acres, viſcidos, in utere collectos præſupponunt, propterea non raro aliquid huc conferre poſſunt. Viſæ tamen non nullæ mulieres, quæ in partu, cum ipſo fœtu & ſecundinis, copioſos flatus excreverunt. Vide Bartholini Hiſt. anat. cent. I. pag. 1.

Nec minor abortiendi necesſitas occurrere ſolet, *in aliis irritationibus fibrarum uteri*, *tum in morbis ſolutæ unitatis*, *vulneribus*, *ulceribus*, *inflammatione*, *eryſipelate*, *quæ periculoſa gravidis eſſe*, *jam docuit Hippocrates Sect. V. Aph.* 43. Item *humoribus acribus ſcorbuticorum*; *ſimiliter in procidentia uteri vaginæ*, vide David von der Becke diſſ. de procidentia uteri hab. 1683. Vid. Ruyſch obſerv. cent. obſ. p. m. 11. 12. Morgagni adverſ. Anatom. adverſ. 4. p. 49. Riverius in obſerv. p. m. 92. & alias plures Medicorum obſervationes. Quam tamen non ſemper abortum conſtat; itemque *affectibus ſpasmodicis & convulſivis*, vel *idiopathia in paſſione hyſterica*, proprie ſic dicta, vel *per conceſſum* in affectibus epilepticis, aliisque nervinis, quo pertinet ſyncope & lypothymia, & ſimilia. Aliæ cauſæ externæ.

De *fluxu ſanguinis* jam in antecedentibus dictum. *Fluor* autem *albus* prægnantibus non rarior eſt, qui, ſi continuus copioſusque excrementitios humores & cachexiam præſupponens, nutrimentum fœtus inquinando & corrumpendo fœtumque ipſum obruendo, atque partes nimis laxando, aliquando cauſa ſimul abortus eſſe poteſt. Si autem paucus fuerit, aut periodicus, tempore menſibus ſolito ſe manifeſtans, nec conceptionem impedit, nec geſtationi obeſt. Conſtat enim fœminis ſuſpectis ingravidatis, poſt uſum ita dictorum pellentium, loco menſtruorum, fluorem album in magna ſatis quantitate, ſine ullo impedimento graviditatis prodiiſſe.

Quæ

Quæ ulterius hic memorari solent, sunt: *Diarrhœa & constipatio alvi*; item *tenesmus*, *morbi sphincteris vesicæ*, *sternutationes crebræ*, *tussis frequens*, *vomitus*, *lues Venerea*, *& febres*, *insignis aliquis corporis dolor*, *& similia*.

De *Diarrhœa* extat *aph.* 34. *sect.* 4. *mulieri gravidæ*, *si alvus profusior sit*, *abortionis periculum imminet*; quod tamen non semper, nec nisi immoderata, aut si aliud ex vitiis vel causis aliis supra dictis, simul adfuerit, verum esse poterit. Si enim robustiores, nec a forti purgante abortiunt, quod tamen magis afficit, majora tormina & incommoda parit, quam sæpe diarrhœa, imprimis si non nunquam beneficio naturæ aut critice eveniat, quanto magis exinde pericli facetur. De *Dysenteria idem* judicium *Wedelius* testatur *nullam se vidisse dysentericam gravidam*, *quæ abortierit*. Si autem dysenteria eousq; progressus fecerit, ut periculosa aut lethalis fiat, fœtum ipsum etiam mori necessum erit. Sic in *tenesmo* a crebro desidiendi molimine, & abdominis compressione, uterus simul in consensum rapitur. Sic *aph.* 27. *sect.* 7. *Hipp.* dicit: *tenesmum gravidæ mulieri accidentem abortum facere*.

Constipatio autem *alvi* sola, rarius id præstat, cum multæ dentur mulieres, naturaliter aliquot dies constipatæ, quæ tamen justo pariunt tempore; nisi simul tenesmus, uti sæpius solet, aut alia accidentia adfuerint. *Morbi sphincteris vesicæ*, ob viciniam & consensum irritationis & strictionis, aliquid non nunquam efficere posse, non negaverim. *Sternutationes crebræ*, *tusses*, *vomitus*, si prænarratis affectibus superveniant, propter concussionem corporis violentiorem, etiam hic aliquid conferre posse credo: ast si ab aliis vehementiora exercitia impune tolerantur, pondera gravia sine noxa portantur, hinc quoque promiscue corporibus sanis hic nihil abortivi procurasse, ipsa experientia testabitur. Nonne enim quotidie videmus, millenas mulieres prægnantes vehementissimis vomitionibus, imprimis tribus primis graviditatis mensibus, sine ullo subsecuto abortu divexatas? De *lue Venerea* etiam multa exempla, illam gravidis, etiam per salivationem Mercurialem, sine subsecuto abortu, sanatam fuisse, atque mulieres hac antea affectas, sanos deinde infantes peperisse.

In-

Insignes ventris, lumborum, capitis, aliarumque partium corporis dolores, alios præsupponunt communiter affectus & morbos; proinde secundum circumstantias & qualitates eorum, hic quoque vel plus vel minus timendum erit; imprimis si dolores diuturniores fuerint, & fœminas teneriores, hystericas, aliove affectu laborantes, corripiant. Sic *Hippocrates l. de morb. mulier. Si mulier, quæ uterum gestat, matris aut lumborum doloribus conflictetur, metus est ne ruptis membranis, quem optime cingunt, abortione ejiciat.* Quod autem *ad febres* attinet; certe *intermittentes & continuæ benignæ*, ceteris paribus, parum periculi afferunt. Sicut etiam hecticas plus una vice satis bene partus enixas fuisse videre licuit. Aliter se res habet in febribus malignis & acutis, ubi majus periculum imminet. De acutis loquitur *Hippocrates aph. 31. sect. 5. Mulierem gravidam morbo aliquo acuto corripi periculosum.* Item *Aphorismo 55. Gravidas febricitantes & vehementer extenuatas difficulter parere & cum periculo abortire.* Sed egomet ipse tra- Casus ctavi fœminam prægnantem primiparam, laborantem febre petechiali maligna, satisque periculose decumbentem, quæ feliciter pristinæ sanitati restituta, post sex hebdomades sanum enixa fuit filium. Ut de aliis, febribus intermittentibus & continuis laborantibus nihil dicam. Sane inter centum vix una reperietur, quam gestationis suæ tempore usque ad finem non aliqua febricula laborasse interdum contigerit.

Restat, ut paucis *de causis abortus, qui vitio fœtus accidere solent*, Causæ a aliqua dicamus. Quando scilicet *embryo debilis, ex debili semine* vitio fœ- *prognatus, a patre senio morboq; fracto; aut morbosus, vel ipse, vel a* tus. *matre ipsa morbo correpta & languente, vel etiam ob violentiam externam, jam in utero exanimatus existit.* Si enim debilior fuerit, inquietus fit, & varie se agitat; imprimis (quod etiam ab Authoribus observatum) *si convulsionibus lacessitus fuerit*; id quod sæpius videmus, mulieres se male habent (v. g. in commotionibus affectuum animi, de majori motu fœtus conqueri) qua exagitatione utero ad exclusionem sui stimuli adduntur. Sic *Michaelis Prax. clin. spec. Cas. XXII. abortum sex mensium notat, toto corporis habitu lacteum & ictericum, in quo dissecto ventriculus, cum intestinis, bile refertus, sed ipsum & he-*

par aridum, ſplen ſchirrhoſum, pulmones corrupti, & cor flaccidum inventa fuerunt. Accuſantur hic etiam fœtus in utero hydropici facti; item natura grandiores, a patre robuſto geniti, matre teneriori exiſtente, quod alimentum ei ad complementum ſui debitum ſubminiſtrare non poſſit, aut mole ſua cavitatem uteri excedat; id quod aut rarius accidere credo, & ejusmodi gandiores fœtus, partum quidem laborioſiorem, raro abortivum conſtituunt, ut taceam in diſpoſitione ſeminis, a patre robuſto, (quantum enim illud huc conferre poſſit, nondum adhuc a literatis determinatum) ſi poſtea alimentum uberius a matre ſubminiſtrandum defuerit, vix ita fœtum accreſcere poſſe. Alia res eſt, ſi mater initio ſana fuerit, deinde autem in morbum incidat, qui fœtui alimentum neceſſarium ſubtrahat. Interim non rarum eſt, mulieres macilentas fœtus nihilominus grandiores in lucem edere ſolere.

Pari modo quoque, *numero excedente fœtu*, ſi ſcilicet *gemelli, trimelli vel plures numero, ſimul concepti fuerint*; non nunquam unus vel duo per abortum exire ſolent, id quod tamen etiam non ſemper procedit, quia multa exempla adſunt, ejusmodi juſto ſimul tempore editorum. Interim, quoniam iſtos gemellos & trimellos ut plurimum teneros & parvos conſpicari ſolemus, hinc concludendum, ipſis debitum alimentum non ſuppeditari, niſi mater admodum robuſta & euſarca fuerit.

Huc referri quoque poteſt, *ſi foetus mola ſtipatus fuerit*, quæ ipſi etiam nutrimentum neceſſarium detrahat. Sic Michaelis citato loco abortum exeunte ſimul enormi mola annotavit.

Adeſſe quoque aliquando *in foetu*, ſtabunt, vitia conformationis; quando nempe vaſa umbilicalia, vel juſto exiliora ſunt, ut facilius abrumpantur, accedente imprimis vehementiore corporis motu, vel ſatis craſſa quidem, breviora tamen, ut creſcente fœtu placenta facile detrahatur, atque fœtus ad orificium uteri devolvatur. Item quando membranæ, fœtum ambientes, ſunt nimis tenues, ut movente fœtu facile dirumpantur.

Finiamus

Finiamus hoc caput dicto *Foresti*, *lib. XXVII. observ. XVI.* Qui, *quæcunque mulier* inquit, *citra evidentem causam abortire consvevit, vel totius corporis, vel uteri vitio laborat.*

An autem etiam *per sympathiam*, quæ ante aliquot lustra in pluribus Germaniæ & Belgii locis valere consvevit, abortus provocari possit, non est, nec meæ intentionis nec loci inquirere vel determinare.

CAPUT III.

De Medicamentis, sic dictis abortivis.

ABortus contingere toto die videmus, quoniam vero honestæ fœminæ, & jam si omnem curam ad illum præcavendum adhibuerint, interea tamen facillime sæpe ex levissima, imo sæpe nulla causa externa eum patiantur. Mulieres contra aliæ, imprimis suspectæ se clam imprægnari passæ (quamvis nihil ad procurandum abortum intentatum relinquant) spe tamen sua ut plurimum frustrantur: (de sanis hic loquor, nulloque vitio, vel morbo alio interno, quorum supra mentio facta est, laborantibus.) Hinc operæ pretium videtur, solertius inquirendi, *quæ causa subsit, quod in illis ea, quæ fugiant accidant, hæ contra illa quæ anxiæ annitantur, assequi non possint?*

Porro notum est, (quod & ipsi gentiles jam Hippocratis tempore admittere noluerunt, imo & ipsa pietas, honestas & sana ratio jubet,) *omnes praxi Medicæ operam dantes, imprimis promotos Doctores in actu promotionis solenni jure jurando se obstringere debere, se non tantum medicamenta uterina pellentia caute administraturos, illa mulieribus gravidis non oblaturos, & præsertim medicamenta abortiva nulli propinaturos fore.* Idcirco maxime necessarium, omnem Medicum scire oportere: *an talia dentur?*

dentur? & quænam iſta ſint, a quibus abſtinere debeant? Et ſi forte talia ſint, incumberet magiſtratui, illa ne venum exponantur, prohibere, & non ſolum e pharmacopœis, ſed etiam undecunque (ſicut de famoſa illa datura in quibusdam locis exempla habemus) ceu infeſtiſſima naturæ venena, e commercio hominum proſcribere.

Quæ huc referuntur.

Quæ autem huc trahi ſolent, ſunt (1) *uterina pellentia fortiora, & remedia ſpecifica vi* [uti dicunt] *fœtui infeſta, eum necantia, aut ex utero expellentia:* (2) *purgantia draſtica & fortiora* (3) *venæ ſectio.*

Pellentia fortiora.

Remedia pellentia fortiora cap. I. ſub titulo: molam, ſecundinam & fœtum mortuum pellentium enarravimus. Facultas Lipſienſis *Sabinam* huc refert, ſecundum *Littmanni Medic foren*ſ*. Cent. I. ca*ſ*. 26, & Cent. VI. ca*ſ*. 43. Item decocta ex rore marino, pulegio, ſabina & baccis lauri abortum ſecutum imputarunt*; ubi tamen conſtitutio perſonæ, aliæque circumſtantiæ, ſcitu neceſſariæ non adduntur, ſed ſolum, eam quoque gravia & ponderoſa ſuſtuliſſe & portaſſe *cent. V. caſ. XXVIII.* Item *a purgantibus & pellentibus a circumforaneo exhibitis cent. IV. caſ.* 66. ſimilisque ſententia, a plurimis Medicis, de ceteris pellentibus fovetur, ab ejusmodi ſecutus eſt, perſonas iſtas, quibus id accidit, aliquo alio morbo, imprimis uteri ſimul affectas fuiſſe credo. Suſpicari igitur licet, in negotio tam ſontico, rem non debite ſatis penſitatam, nec forte omnes circumſtantias rite ſatis examinatas fuiſſe.

Specifica vi fœtum enecantia.

Porro inter ἐκβόλια, *ſive medicamenta ſpecifica vi fœtum enecantia, recenſentur: ungulæ aſini in ſuffitu adhibitæ, dracunculus minor, ſi ejus odor inſpiratione attrahatur, referente Vehr, diſputatione de abortu, Francofurti anno* 1684. *habita. Radicem filicis huc refert Rolfinc, ord. & method. comment. l. IX. ſect. 3. cap. 1. Sabinam Schröderus in pharmac.* aliique Botanici, *linum* idem *de oleo lini* obſervatum habet *Hagedorn, Act. N. Cur. Ann. III. obſ. 216. ubi narrat, uxo-*

rem

rem in gratiam mariti, ſemel atque iterum aliquot guttulas olei lini aſſumſiſſe; a quo, ſub orto fragore in abdomine, excretoque per muliebria cruore coagulato, ſe infeliciſſime abortum paſſam, experta eſt. De ſelagine tertia thalii narrat Jacobus Breynius Act. N. C. Ann. IV. & V. obſerv. 149. *De camphora Borellus obſerv.* 49. *cent.* II. *pag. m.* 192. *Item Schröderus in pharmacopœja, inter fœtum necantia refert ſemen thlaſpi, it. coagulum leporis, cantharides, lapidem hyſtericis Malaccenſis. Et radicem cyclamidis adeo infenſam gravidis pronunciat Dioſcorides, ut prægnantes, ſi herbam ejus ſolummodo tranſiverint, abortire faciat.* Idem inter abortiva inſuperaddit *radicem aſparagi*, cujus decoctum conceptum adimere & ſterilitatem inferre dicit, item, *flores braſſicæ ſatinæ* in forma pesſi applicatos, *dracunculum utrumque*; *onasma* (quod etiam transgredientibus abortum facere jactat) *elaterium, ſcammonium, flores conyzæ, vinum belleborites, & phthorion*, ſive abortivum, compoſitum ex ſcammonio, veratro & cucumere ſylveſtri, juxta radices vitium ſato &c.

(2) Inter *purgantia* comprehenduntur etiam *vomitoria* Antimonialia & helleborata. *Ex purgantibus* exceptis quæ jam a Dioſcoride huc tracta, *Schröderus* nominat, *ſuccum elaterii* & *colocynthidem*, quod foetum enecent; aliaque violentiora & draſtica; imo nec *mannam* hic inſontem eſſe volunt.

Reſtat (3) V.S. idque potisſimum ex decreto *Hippocratis* *Aph.* 30. *Sect.* 5. ſanguinem gravidis non mittendum eſſe docenti. *Mulier enim*, inquit, *in utero ferens ſecta vena abortit, eoque magis, ſi foetus fuerit grandior. De V. S* tamen *brachii*, imprimis poſt medium geſtationis tempus, noſtris temporibus, jam faciliores ſunt; imo illam nonnunquam ad præcavendum abortum, ceu maxime neceſſarium commendant; de qua infra; *V. S. e contra in pede nunquam periculo vacare contendentes.*

Antequam autem meam, de his omnibus ſententiam exponam; neceſſe mihi videtur, ea, quorum ſub initio de modo operationum Medicamentorum, in corpore humano mentionem feci, paulo fuſius explicare.

Qua ratione Medicamenta in corpore operantur?

Medicamenta quæ communiter præparantur & assumuntur *consistunt vel in forma solida vel liquida*: *ex prioribus*, iterum alia in vehiculo liquido dissolvi, vel difficilius, vel plane non possunt. Sed fundum petunt; uti pulveres, plurima magisteria, aliaque præparata quæ in liquoribus subsident. Sunt tamen quædam ex vegetabilibus, quæ in iisdem liquoribus assumpta, vim aliquatenus suam illis communicant, uti quædam radices, flores & folia, in pulveres redacta. Alia ex his solidioribus in vehiculo dissolvi possunt, uti extracta, pilulæ plures, Salia, gummata, aliaque his similia. *Ex liquidis* sunt potiones, essentiæ, tincturæ, spiritus, olea destillata &c. *Ex prioribus nempe pulveribus* & similibus præparatis; v. gr. oculis Cancrorum, coralliis, corn. cervi &c. nemo sane facile asseveraverit, illa in substantia ad sanguinis massam penetrare, sed operationem suam, in primis viis tantum efficere, atque inter alia, chylum, bilem, succum pancreaticum, aliosque humores præparando, Salia aeria, acida, & similia silvestria, invertendo, viscidítates dissolvendo, & incidendo, humoresque fluxiliores reddendo, & his non dissimili modo operando. Non hic sermo erit de medicamentis chymicis, Mercurialibus, Antimoniis, &c. quæ operationes sæpe per irradiationem perficere creduntur. Volatilia autem Salia destillata, aliaque penetrantiora medicamina, etiam per vapores, sive exhalationes, in corpore humano, operari, credere adducerer, propter promptam cordialium, analepticarum, opiatorum & similium operationem, antequam scil. sanguini misceri potuerint. Si enim ejusmodi penetrantiora, etiam in nitris optime obturatis, olefactu percipere possumus, subtilesque eorum exhalationes animadvertimus, quanto facilius igitur, per tunicas laxiores, stomachi, & intestinorum, accedente cum primis calore corporis, transpirare, atque viscera sanguinem & nervos afficere poterunt. Cœtera liquida, sanguini quidem commisceri a vero non absimile est. At quis non videt, quantæ alterationes in stomacho, & intestinis tenuibus, deinde in ipso sanguine, illis subeundæ sint, postmodum per ductum thoracicum sanguini delatis quanta via quæso, per totum corpus illis peragranda est, antequam ad ipsum uterum perveniant? Ita si e. gr. essentiæ alicujus pellentis, sabinæ, castorei, succini, vel similis ad 40, vel 50 guttas assumptæ fuerint, vix 3 vel 4 gut-

Pulveres vix in substantia ad M.S. penetrant.

Med. chymica.

Volatilia.

Liquida ad sanguinem perveniunt sed non facile ad locum affectum.

4 guttæ, proportione facta ad totum corpus, prius toties immutatæ, atque aliis succis enervatæ, ad uterum deferentur? quisnam igitur sanæ mentis homo concipere poterit, illam minutam dosin, statim foetum istum, natura sibi infensissimum hostem, enecare, illumque aut ita vivum aut mortuum exturbare valere? Sane si suppressio urinæ, a calculo, sabulo, vel aliis visciditatibus; si podagra, aliisque in partibus remotioribus stabiliti morbi, omnem vim remediorum eludunt; si ipsa tussis aliique morbi pulmonum; non facile remediis obtemperant? Si calculus vesicæ, ab omnibus medicis, ultra sphæram activitatis internorum medicamentorum communiter constitui solent; ob remotiorem a ventriculo, qui prius medicamina recipit, vesicæ situm, quisnam uterum, ibidem fere & in vicinia positum, majori privilegio donatum dicere audebit. Itaque valde de illo interno, horum infamium abortivorum remediorum, decantato effectu dubitandum erit. Sed redeamus ad illa, unde modo digressi sumus.

De *Sabina*, jam superius aliquid diximus, scio multas ea, variis modis, aliis additis ingredientibus usas fuisse, abortum autem quem intendebant, (licet abstructio mensium hic communiter prætexitur,) quantum mihi constat, nullum exinde secutum novi. *Oleo* nempe semi aromatico abundat, proinde *cum Junipero roremarino, pulegio* similibusque calidis in multis convenit; atque vim carminativam, visciditates incidendi, atque sanguinem ejusque serum fluidiora reddendi, ejusque forte grumositates, per stasin alicubi formatas dissolvendi, simulque diureticam, atque aliqualem anodinam possidet: ast si per se neque menstrua sæpius pellere valeat, (alias semper illud, etiam in novilunio illis, quæ in plenilunio pati consveverunt, & vice versa, omni alio quovis tempore, ea provocaret;) quoniam beneficium illud, plerumque a natura provenit, quæ semotis tantum impedimentis, per purgationes, Martialia, Salia, volatilia & fixa, &c. sæpe sine ejusmodi pellentium auxilio instituere solet, licet deinceps loco stimuli, ceu omnia illa aromatica & calida, orgasmum sanguinis concitando, se habere possit; Sin autem illa modo dicto non præmittantur, hæc pellentia

quoque

quoque sine effectu ullo dabuntur, uti hæc superius jam notavimus, quanto minus igitur, ad foetum enecandum & expellendum valebit? *Myrrha* balsamica est, putredini resistens, orgasmum quoque sanginis augere valet. *Borax* insigne diureticum, viqueincidendi fluxilitatem humorum concitare potest; ad necandum autem & expellendum partum, utraque inepta. *Crocus*, anodynum & balsamicum, ast si ista insigni vi pellente, prout de eo venditatur, polleret; certe mulieres istarum regionum, crocum quotidie cibis suis, piscibus, oryzæ cornibus placentis &c. addentes, & impune in magna satis quantitate comedentes, nunquam immenstruatæ manerent, & ingravidatæ, nunquam fœtus suas, ad præfixum usque terminum in utero gestarent.

Et quod *pennas ex aquilæ alis* concernit; Sane hæc vis abortiva adeo potens, ut etiam per solum contactum operetur, apud neminem facile fidem reperiet, & forte fabulæ illæ de ætite, jam dudum explosæ, superstructa videtur. Quæ vero de externa vi *radicis cyclaminis*, & *herbæ onosmatis*, prægnantes, illas tantum transgredientes, abortire faciente fabulantur, merito inter illa commenta & secretas artes, *a Fiorovanti*, *Weckero*, *Hildebrando*, *Starricio*, & similibus ad amorem conciliandum, impetrabilitatem contra arma acquirendam, ad invisibiles se reddendos, ad cognoscendum, an fœmina illibata virgo nec ne, & alias hujus generis nugas referimus. Quo etiam refero & illud, quod *Roderic. a Castro l. III. de morbis mulierum c. 5. de ista radice, quæ in Atlantis jugis crescere dicitur*, recenset, *de qua narrant, illam ad Venerem adeo stimulare, ut si quis super eam urinam reddiderit, illico turgere libidines virginibus, si super eam sedeant, aut urinam faciant, perinde rumpi naturæ membranam, ac si a viro fuerint vitiatæ, teste Scaligero.*

Panacea certe forte inæstimabilis, pro nostris frigidis, & maleficiatis, atque per senium impotentibus, quam mulierculæ libidinosæ, cum dispendio ornatus & cimeliorum multo pretio coëmerent, & quæ majus forte lucrum mercatoribus quam ipsæ gemmæ, vel in desvetudinem venientes margaritæ apportaret.

Suffitum ungulorum asini, nihil peculiaris, vel specifici præ suffitu aliarum nugularum obtinere posse, ipsa ratio svadet, & quisque

que judicio pollens facile videbit, quamvis ullam hujus experientiam me scire, jactare non possim. Forte ex suffitu tali, fœmina quædam prægnans, per accidens, & ex aliis, sine dubio, circumstantiis vel causis abortum, passa est, & hinc statim illud, sine discrimine & accuratiori indagine, inter abortiva relatum erit. Simile judicium *de odore dragunculi minoris* esto. Cum herba hæc inter acetaria quotidie sine ulla noxa a gravidis comedatur, & olfactu percipiatur; quidnam odor & suffitus ejus valebit? *Radicem filicis* vim diureticam & deoppillativam possidere docent; id quod etiam facile crediderim, de virtute autem illa abortiva valde dubito. Scio enim, illam a quibusdam decocto ex sabina aliisque additam, idque sine ullo effectu bibitam fuisse. Miror quoque Rolfinccium, virum alias doctum & gravem, tales ineptias adeo facile credidisse atque illas retulisse. Error autem ille, fortasse etiam præconcepta opinio, jam a *Theophrasto & Dioscoride, qui ab usu radicis filicis, foeminis sibi cavendum esse svadent, quia gravidis abortum procuret*, non gravidas autem steriles faciat, ad nostra tempora propagatum est.

Sed quæ de *lino* Schröderus & de *oleo lini* Hagedornius referunt, forte quoque fallaciam causæ non causæ sapiunt. Quantæ enim fœminæ gravidæ, imprimis ruri, linum præparant, illud in aquis putrefaciunt, exsiccant, triturant & illi incubant, sine ullo incommodo? Et in regionibus Catholicis, imprimis Polonia, & in Moguntina & aliis, ubi diebus jejuniorum ne butyro quidem vesci permissum, oleum autem olivarum nimis carum est, mulieres, æque ac viri, multoties oleo lini, seminis raparum & similibus, loco butyri in cibis varie utuntur, uti ipsemet vidi, nulla tamen ex illis abortiente.

De *Selagine*, ejusque virtutibus, pauca apud Authores Botanicos reperiuntur. *Plinius l. 34. c. 11. tom. III. p. m. 159. illam inter species sabinæ refert. Lemri* myrrhatam nominat. Interim descriptio *Selaginis illius Illæ* apud *Thalium in sylva Hercina* videri potest. *Breynius* quoque c. l. illam plantam icone adjecto fusius describit. Quia autem inter cetera illi quoque virtutem vomitoriam & purgantem adscribit: hinc si aliquis effectus exinde sequi possit,

idem judicium de illa esto, quod de reliquis vomitoriis & purgantibus drasticis supra latum est.

Camphoræ vis antivenerea, sterilitatem inducens & abortiva, jam amplius non creditur, experientia id refragrante. Hodie quoque artem Medicam exercentibus manus oculatæ sunt, quæ non credunt nisi quod vident.

Ceteras nugas & fabulas, quæ a dioscoride, qui jam dudum fidem perdidit, cum inter centena falsa vix decem vera referat, & a nimis credulo botanicorum compilatore, Schrödero, recensentur, libentèr prætereo: siquidem illa, falsitate satis evidenter apparente, nullam ulteriorem disquisitionem promerentur. De vino suo abortivo, inferius cum de purgantibus sermonem faciemus, aliquid dicendi fortassis occasio dabitur.

De lapide hystricis Malaccensis, pedra del porco communiter dicto, mentionem facit *Hoffmann in Shröder: fœminas nempe Malaccenses, propter vim nimiam, quam possideat, menses tam abundanter pellendi, illum attingere nolle.* Attamen *Helvetius jun.* qui satis prolixe de eo scribit, virtutesque ejus omnes recenset, *dans son traittê des Malaides p.* 219. *& seqq.* nullam de hac vi specifica abortiva mentionem facit. Nec memini in Gallia, Hollandia, ubi ejus usus moderno tempore satis frequens est, simile aliquid observatum fuisse.

Antequam hæc finiam, *de externis uterinis* menses cientibus atque hac qualitate abortum procurare valentibus, aliquid dicendum, sic injectionem in uterum inter alia describit *Rodericus a Castro de morb. mul. l.* 4. *c.* 2. *p.* 439.

R. folis sciffil. dr. 1. *myrrh. dr.* 1. *helleb. nigr. dr. sem. decoquantur cum vino pro injectione.*

Emplastrum idem ibidem R. Rad. cyclamin. arthemisiæ, elateriuma a a. dr. 5. *absynth. granor. gnidii a a. dr.* 10. *nitri Unc.* 1. *Rad. cucum.*

cucum. sylvestris dr.1. opopanac.dr.10. lupinor. amaror. Rad. chelidon. sem. violar. āā. dr.6. olei cypriin. q.s.m.f.l.a. Emplastrum.

Pessum R. hellebori nigri, stapis. agrestis, aristol. rotundi, colocynthidis, armoniaci āā. dr.1. fel tauri dr.2. Ammoniac. in melle aut vino dissolvatur, reliqua terantur; ac mixtis cunctis fiat pessus.

Unguentum R. Galbani, laseris, s. benzoini āā. dr.1. ol. irini q.s.m.f. unguentum, quo pessus inungatur. Aut R. succi cucumeris asinini, mellis cum lara succida fiat pessus.

Huc pertinet *tubulus Glauberi*, sive instrumentum, instar pollicis longum & crassum, in superiori parte capitulum habens, foraminibus pertusum, quod sale armoniaco volatili repletur, vel mixtura salis armoniaci, cum calce viva & spiritu vini humectata vaginæ uteri intruditur. Sed quantum hæc superius recensita & similia externa ad abortum concitandum efficere possint, quisque conjicere poterit, uteri orificium interius, post ingravidationem factam, tam firmiter occludi, ut nihil, ne quidem aër, in cavitatem ejus penetrare possit. Et licet a volatilibus spirituosis aliquid per exhalationem vaporosam eo pertingat, fœtus tamen nullum exitium vel necem exinde capiet: interim si in suppressionibus mensium morbosis, aliquid efficere valeant, id potius in vagina & circa orificium uteri, obstructiones istas & stagnationes sanguinis referando, illumque fluidiorem reddendo & admotum concitando præstabunt. Res autem aliter se habet in graviditate, ubi emansio mensium naturaliter contingit, cum pars illa sanginis eliminari consveta, ad aliud negotium a natura impenditur. *Emplastra* quoque & *inunctiones* abdominis huic quoque inertia quisque judicabit, si enim talia in aliis affectibus parum conferunt, & successus, qui illis debetur, ut plurimum vel frictionibus, externoque calori debeatur, certe & ad cavitatem penetrando, fœtum etiam neque enecare vel exturbare valebunt. Scio quidem, a meretriculis Italis (corteggione) alia externa ἐυχέρεισι, sæpius abortus concitari solere; illud autem ex alio fonte promanat; & quoniam vix ad praxin Medicam per-

tinet, propterea ad evitandum ſcandalum aliasque ob rationes, deſcriptioni vel enarrationi hujusmodi lubens ſuperſedeo; quem etiam non plane periculo vacare credo.

Purgantia. Progredior jam (2) *ad purgantia*: quæ hic communiter ante 4tum menſem graviditatis & poſt 7mum prohibentur; idq; præcipue effato illo *Hippocratis*, *Aph.* 29. *Sect.* 5. ſuperius citato, ſed in noſtris his climatibus, a lenioribus imo & mediocribus purgationibus vix aliquid metuendum. *Fortiora autem & draſtica, ut colycinthis, gummi guttæ, helleborus albus, elaterium, ſemen catapu-tiæ, euphorbium granatilli, & exinde compoſitæ illæ pilulæ famoſæ Sten-geriana*, in ſubjectis diſpoſitis non nunquam abortus ciere poſſe

Caſus I. utique credo. Sic vidi fœminam, jam ſexto menſe gravidam, cui Medicus aliquis, ſive potius Medicaſter (nam præter nomen Doctorale, quo ſuperbiebat, nullam qualitatem viri, aut docti aut prudentis, poſſidebat) febri continua jam per aliquot dies laboranti, neſcio quas pilulas, ſine judicio præbuerat, a quibus plus quam duodecim horribiles vomitus, & ultra viginti ſeceſſus ſecuti, usque fere ad vomitus ſanguinolentos, ſubſequente poſtmodum ſat abundante excretione menſtruorum, & torminibus parturientium (Wehen) aliisque imminentis abortus ſignis, a quibus convenientibus reſtituta, deinde legitimo tempore fœtum ſane enixa eſt. Sed ſciendum, fœminam iſtam plethoricam fuiſſe, cujus uterus quoq; forſan vitioſis humoribus repletus erat, & deinde jam per aliquot dies febri laboraſſe, ubi ſecundum Hippocratem, aliosque ſaniores Medicos, nihil movendum, ſed vere ſectio magis conveniens erat.

Caſus II. Aliam mulierem per tres vel quatuor menſes utero gerentem, novi, quæ ab empyrico quodam, neſcio quale medicamentum, forſan antimoniale vel mercuriale acceperat, a cujus dimidia doſi quindecies & ultra vomuit, & fere trigeſies alvum dejecit; & cum ſvaſu ejusdem Empyrici, alteram doſin ſequente die aſſumſiſſet, poſt horribiliores vomitus & ſeceſſus, quam præcedentes fuere, filios gemellos, non ſine multis cruciatibus, lipothymiis, proſtratione virium, aliisque ſymptomatibus, abortive edidit.

Quam

Quam deinde ego in ſtatu ſumme periculoſo conſtitutam, cum febre continua adeo debilem, ut pulſus vix ſentiri potuerit, cum inſigni uteri hæmorrhagia, verbo, fere agoniſantem, non ſine magno tædio & labore tandem a limine orci revocavi. Sed hæc mulier jam antea ſæpius variis morbis & accidentibus conflictari conſveverat, & eo ipſo tempore, cum hæc acciderunt ei, morbo aliquo, cujus jam amplius non recordor, pro cujus cura dictum empyricum conſulerat, laboravit. Sic mihi quoque nota erat alia fœmina cælebs, admodum plethorica, quæ per ſecretos concubinatus ingravidata, multa ejusmodi mulierculis commendata *pellentia uterina*, uti *ſabinam* & ſimilia, aſt vano & irrito effectu, in uſum traxerat; donec tandem ſvaſu cujusdam vetulæ, pro duobus nummis (für 2 Schilling) ſuſpicor dr. 2. *gummi guttæ* aſſumſit, a quibus innumeras ſedes & vomitus habuit, quæ inſignes abdominis cruciatus & tormina ſecuta ſunt, & poſtmodum, poſt ingens profluvium ſanguinis grumoſi, abortum, quem optabat; (an vivus vel mortuus, dicere non poſſum, quia videre illum non contigit) Advocatus ego ad curam hujus perſonæ, nihil primo de ante actis, reſcivi; ſed obſtructiones menſtruarum, 3um vel 4. menſium obtendebat, ad quorum provocationem cum quædam adhibuiſſe, hos deinde in tanta copia, hiſce ſymptomatibus ſtipatos produiſſe. Cum inquirerem quæ hæc fuiſſet, varia incongrua reſpondit nihilque certi aſſerere potuit. Subito feci quidem veritatem, illam tamen non niſi, poſt vere dimidium annum, totumque negotium a vetula, quæ ipſi tum etiam a conſiliis fuit, reſcivi. Interea Mulierem hanc in ſomno periculo, & fere ſine loquela offendi, anxietatibus, lypothimiis, proſtratione virium, ſimilibusque ſymptomatibus ſtipatam, vires amiſſas recuperare potuit, reſtituere volebam. Aſt hæc quoque perſona antea plethorica, atque humoribus excrementitiis referta fuit. Caſus III.

Sed in his, ſimilibusque ſubjectis, ubi purgationes vehementiores abortus ſecuti ſunt, *fere ſemper conſtitutio morboſa juncta fuit*, ut dubium ſuperſit, cui ex his effectus ille alicui ſoli, vel utrique adſcribendus ſit. Interim illæ Perſonæ in tanta diſcrimina vitæ, ex his violentis operationibus præcipitatæ fuerunt, ut mirandum

dum illas superstites adhuc conservari potuisse, quod inprimis ex duobus posterioribus casibus, ubi abortus ille, actu secutus est, videre licet. Quin & exempla non desint, illarum, quæ per ejusmodi remedia drastica, vitam simul cum foetu amiserint.

Dubium de purgantibus.

Interim & de purgantibus dubium adhuc superest, quod multoties, & in pluribus observare contigit, *nempe gravidas quasdam, a purgantium pilularum dosi*, quæ alias 5, vel 6 sedes efficere consveverant, deinde pro fortiori ut credebant, operatione, 2*plam*, 3*plam imo* 4*plam dosin, sine consilio Medici assumpsisse, semper tamen eodem effectu.* Quæ ratio hujus phænominis, dicere quidem non ausim nec an id universaliter in omnibus vel plurimis eveniat; drasticorum enim in simili circumstantia, (extra casus recensitos,) vis me latet: interim id etiam *a B. Ludovici observatum fuisse, Heidenreich in dissertatione de abortu, refert: si mulier consveto alias purgante non moveatur, cum tale contra peculiares affectus detur, plerumque eam fuisse impragnatam.* Cum autem prudens & conscientiosus Medicus, non facile purgantia, nisi consveta dosi, nec sine cirumspectione prægnantibus, exhibebit, multo minus drastica, hinc difficillime aliquid veri & positivi de his dici poterit. Attamen sententiæ huic nostræ, *quod purgantia ad abortum promovendum, parum valeant*, faventem invenio, curiosum & eruditum *D. D. Albrecht Physicum Hildensem, observatione sua, de difficultate abortum directe, vel indirecte promovendi insertam Actis N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obs.* 165 *neque per purgantia id facile obtineri, de quibus dubitare licet, an eorum facultas purgans, ad loca muliebria quibus foetus continetur, pertingat? eoque non potius, si quid ad abortum ciendum faciunt, illud particulis eorum Salinis alicalicis, summa alterandi, venarumque orificia reserandi facultate præditis, vel saltim egerendi ab illis inductis fortioribus conatibus, a quibus & ipsa uteri taberna, per consensum suum patitur pressionem, adscribendum sit.*

Venæ sectio.

Restat (30) & ultimo loco, quod superest, & *de Venæ Sectione* quædam adferre. Omnem Venæ Sectionem prisci authoritate

tate Hippocratis, uti superius dictum, absterriti, reformidabunt: recentiores tamen, hac in re cordatiores, illam in brachio, inprimis post medium gestationis tempus, non solum non rejiciunt, sed etiam seu præservativum contra abortum commendant. Hodiernis temporibus, seposito illo timore, aliis quoque post medium, vel etiam circa finem indifferenter, etiam si plethoricæ non sint indicationes, autem solum modo adfuerint, venam secare permittunt. Hodie Galli, post medium tempus, semel vel bis in brachio, & circa finem gestationis, etiam in pede phlebo thomiam instituunt, non infelici itidem successu. Hinc de Venæ sectione in brachio, non tanta jam occurrit difficultas, quam de illa, quæ *in pede* institui solet. Notum autem est ex praxi Medica foeminis suppressione menstruorum laborantibus venam salvatellæ in talo pedis feliciter institui, hinc & Germanis mulierculis, die Rosen-Ader accidit, idque & rationi conforme est. Nam cum hunc affectum a materia viscida glutinosa, vasa capillaria ad uterum tendentia obstruente, communiter deducant, hinc non absonum, per Venæ sectionem inferiorum partium vasa depleri, & per consequens obstructiones illas tolli, prout in aliis obstructionibus similibus observabile est. Cum autem illud, & ad prægnantes traxerint, atque eundem effectum, in his quoque pertimuerint, ne scil. a Venæ Sectione inferiorum partium itidem menstrua concitentur; Sane, judicio meo male argumentati sunt. Nam in statu graviditatis, obstructio ejusmodi præternaturalis non præsupponitur; sed sanguis ille menstruus, alio impenditur, & a provida natura in alimentum foetus, & formationem secundinarum aliarumque partium, conservationi Embryonis inservientium, cedit, & indies incerta, (licet nobis ignota) quantitate ad uterum derivatur, ita non nullæ fœminæ, eo tempore majorem appetentiam ciborum, quam antea sentiant. (Sie essen für zwey.) Hinc ubi nulla obstructio adest, nihil obstruendum occurrit, atque nulla provocatio menstruorum; & per consequens, nullus abortus metuendus. Id quod & experientia confirmat. Nam multas gravidas observare licuit, quibus tempore graviditatis phlebotamia in pedem per incuriam, suppressiones tantum credentibus, non nunquam data opera, administrata fuit, nullis tamen inde

In brachio communiter admittitur.

In pede.

inde succedentibus, vel menstruis, vel abortu. Nonne etiam toto die videmus, mulieres utero gerentes, imprimis circa ultima gestationis tempora, balnea frequentare, atque ibidem *cucurbitulas* cum *scarificatione*, non solum per totum corpus, sed etiam ut plurimum in solis coxis & genibus, cum insigni satis evacuatione sanguinis, applicandas curare, indeque se ad modum bene habere, atque idem remedium præservatorium contra abortum sibi commendatum habere. *Illud autem, quod gravidam morbo præservare debet, eundem provocare non potest.*

Scarificationes.

Confirmat hæc quoque *observatio* superius allegata. *D. D. Albrecht*, dicentis: *De phlebothomia nullas video rationes tam prægnantes, quæ ab illa moderate & cum cautela adhibita, gravidas necessario abortus periculum incurrere comprobent. Ubi citat. Stolpart van der Wiele cent.* 1. *observ.* 65. *de muliere, cui uno eodemque fœtu gravidæ, quadragesies & novies vena scissa fuit &c. Sic Rod. a Castro libro de morb. mulier. c.* 21. *lib.* 3. *scribit se gravidam pleuriticam quaterna venæ sectionæ curasse, atque ita restituisse.*

Proinde ex his facile cuivis apparet, dum modo amorem antiquitatis, & præconceptas opiniones separat, *quam difficulter aliquid certi de internis & externis illis sic dictis abortivis, statui possit*: quandoquidem quæ de his scripta reperiuntur, experientiæ repugnant, imo & rationi. *Nam quandoque experientia superat rationes & unum experimentum plus valet, quam centum rationes, prout dicit Waldschmidt: & certitudo in Medicina debetur quotidianæ ac multiplici experientiæ.*

Ut autem ad finem properem, *atque sententiam quoque meam de his* omnibus *subnectam.* Certum quidem est etiam a medicamentis interne assumptis, abortus nonnunquam evenisse, ut & superiores casus de purgantibus, & alia exempla id confirmant: *sic necessarium erit, ut in omnibus ejusmodi casibus & exemplis, etiam omnes simul circumstantiæ, constitutio & temperamentum, item morbi & dispositiones personarum, quibus talia acciderunt, observentur: & quænam magis hunc affectum produxerint, an morbi an medicina?* Dantur

In abortu omnes circumstantiæ attendendæ.

enim

enim morbi, qui si non semper, ut plurimum tamen, per se, abortum efficere, satis apti sunt, uti superius dictum, ut v. gr. *apertura orificii uteri, quæ conceptum vel non admittere, vel eundem retinere sinit; infarctus ejusdem, ab humoribus viscidis, lentis & crassioribus, ejus partes laxiores, lubricæ & fluidiores: item dispositio hæreditaria, constitutio tenera: temperamenta item nimis frigidum, nimis plethoricum, & nimis biliosum* & hæc vel sola vel complicata: *variæ* quoque aliæ *cacochymiarum species, conformatio uteri mala, morbus aliquis gravis* & sonticus; uti pestis, & sæpius alii acuti; morbi foetus, & similia superius enarrata: quæ ut plurimum etiam sola, licet ægrotæ sibimet optime prospiciant; (nisi prudenter aliquando debitis remediis juventur,) mulieres abortire facere possunt. Dantur *aliæ causæ* ex supra recensitis, *quæ solæ rarius hunc effectum producunt; sed aliis simul, licet minus sonticis junctæ, id ipsum tamen præstare queant & eo facilius quanto plures in uno eodemque subjecto simul concurrant*, a quibus eo magis nonnunquam metuendum, ut interdum abortus vix evitari possit. Idem igitur judicium & *de pellentibus*, atque *reliquis abortivis*, imprimis illis *purgantibus drasticis* ferendum. *Nam talium si quid mulieri, uni ex his gravioribus causis, vel pluribus combinatis affectæ, datum fuerit; sine dubio exinde abortus sequetur & accelerabitur; si autem aliqua ex levioribus istis causis, vel morbus aliquis levior*, aut simile quid, *mulierem aliquam affecerit; non ita facile vel sabina vel castoreum, borax &c. abortum concitabunt.* Si autem sanæ & robustæ constitutionis fuerit, vel plane non, vel rarissime, idque aliquando tantum per accidens; quod quotidiana quoque experientia comprobat. Id autem quod rarius effectum aliquem præstat, nec nisi solum per accidens, proprie appellationem, per hunc effectum designatam, mereri non potest.

Multi morbi per se abortum efficere possunt.

Plures causæ leviores complicatæ.

Judicium de pellentibus, abortivis & purgantibus.

Causa enim per accidens proprie loquendo non est causa, ut ex dialectis constat. Ita compertum est, ab ipso opio, oculis cancrorum, & similibus, aliquando vomitus, purgationes, sed rarissime & non nisi per accidens secuta fuisse. Quis autem opium, oculos cancrorum, & similia, propterea inter vomitoria, vel purgantia refert? quia semper a potiori effectu denominatio facienda. Ita quoque quam vis Tartarus Emeticus, fere semper vomitus exhibet, observa-

ſervavi tamen aliquando, neque ab illo, neque ab ipſo Mercurio vitæ, imprimis in melancholicis, & ſtomacho viſciditatibus referto, vel humoribus acidis, quæ vim ejus, vel obtundunt vel illud medicamen, (nempe in pauca quantitate, ʒum, vel 4 granorum,) obviſcant, nullos plane vomitus imo nec ullam nauſeam & aliquando ſudorem ſecuta fuiſſe, nihilominus tamen propterea nomine vomitorii non privandum. Item folia ſennæ, gialappa, rhabarbara, Scammonium, aliaque purgantia, quam non ſemper (ceu de tartaro emetico obſervavi,) ut plurimum tamen purgationes concitent, nomen purgantium retinebunt. Et licet opium ipſum aliquando, ſomnum non procuret; quoniam tamen illud ut plurimum efficit, nomine tamen ſomniferi ſemper indigitabitur. Hinc pari ratione, ſi ſabina aut aliud ex dictis abortivis, inter 20, 30, vel plures mulieres, (& quæ nullo alio morbo vel cauſa ſimili abortiva laborant, in quibus tantum inſtar cauſæ per accidens ſe habebit,) uni, duabus, vel tribus, abortum concitaverit; Certe non ſtatim exinde nomen abortivi illi imponendum erit. Quam plurimas enim comperi meretriculas, qui ad procurandum abortum, omnia quæ vetulæ ſuaſerunt, in uſum traxerunt; *Venæ Sectionem Saphenæ in talo, Scarificationes in cruribus, decoctionem ſabinæ, cum aqua, vino, cereviſia imo lacte, vel ſolam, vel admixti aliis, baccis lauri, radic. filicis, hellebori nigri; quod etiam jam Ludovici* obſervavit *in pharmacia*, dicens: *Sabinæ revera tam per ſe, quam cum ipſo helleboro aliuque meretricularum additamentis, datæ vel decoctæ ſuſpicio, expectatio plerumque major eſt, quam effectus. Differt. de uterinis aperientibus, purgationibus variis, uſus fuiſſe*, ſed irrito effectu, fœtusq; domicilium ſuum nullo modo deſerere volente. *De* quibus jam olim *Ovidius cecinit Epiſtol. Heroic. II.*

Abortina ſine effectu adminiſtrata.

Jamque tumeſcebant, vitiati pondera ventris,
Ægraque furtivum membra gravabant onus.
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix,
Attulit audaci ſuppoſuitque manu?
Ut penitus noſtris, (hoc te celavimus unum,)
Viſceribus, creſcens exenteretur onus

Ah!

Ah! nimium vivax, admotis restitit infans
Artibus, & tectus, tutus ab hoste fuit.

Subjungam quæ de his memoratus *D. D Albrecht citat. loc. monet de poculis abortivis: nullum medicamentum hactenus inventum est, quod gravidis propinatum, semper eundem abortivis effectum stiterit.*

Sed objiceret aliquis (1) Relationes itinerarias, hinc inde referre: *Mulieres Indas, medicamentis abortum procurare quando voluerint.* Sic *Barro de la Honton, in relationibus, de Canada narrat de mulierculis Iroccensibus, illas impraegnatas, in vel extra matrimonium viventes, semper conceptum abigere posse*, secundum placitum & voluntatem. Eadem *de Ceylonensibus* refert, *Robert Knox*, in libro: *Relation de Ceylan*, Et *Ribeiro, dans l' histoire de l' ile Ceylan, allegat Feixeram* qui scribit: *Insulam Ceylan, plantam producere, similitudine aristæ hordei, nigriorem tamen & longioribus spicis præditam, quæ abdomini gravidæ imposita, eam statim parere faciat. Addit; quodsi longiore tempore relinquatur, fœtum per particulas exire, mulieremque tantam hæmorrhagiam pati, quæ vix cohiberi possit.* Et *D. Hermannus Lugdunensis*, qui post reditum ex Insula Ceylonensi, descriptionem plantarum ibidem nascentium divulgavit, *plantæ iconem exhibet, quam Chingalenses adhatoda nominant, quam Græcorum cebolium esse putat, fere earundem cum prædicta virium.* Object. I.

Ad hæc autem respondeo: me hic sermonem facere, de eis quæ in Europa, & imprimis his nostris regionibus, per experientiam observare licuit. *Possunt* enim *in Indiis, tam orientali quam occidentali, aliisque remotioribus locis, uti China, Japonia*, &c. plantæ nasci, aliarum plane virium quam quæ apud nos reperiuntur. Notum quoque, unam plantam in alio climate natam, excellentiorum virium esse, quam quæ in alia peregrini climatis terra, sata, ibidemque creta fuerit: veluti de cinnamomo constat, excellentissimum illud esse, quod in insula Ceylan crescit; & licet in alias regiones, ejusdem caloris, aëris & terræ bonitatis delatum & plan- Responsio.

 tatum

tatum fuerit, virtute tamen, illi Ceylonensi, multum postponendum esse. Et de supra dictæ *adhatodæ* virtute hac abortiva in horto Malabarico nihil dicitur: imo ipse *Hermannus* in suo *catalago plantarum horti Academiæ Lugdunensis*, illi vim tantum foetum mortuum pellendi attribuit. Quod etiam de fructu Coffe, quod optimum Arabicum, notum est: & licet in India orientali etiam plantatum sit, & bene proveniat, illud Indicum tamen multo vilius Arabico existit. Id quod etiam de multis aliis plantis, imprimis aromatibus, imo de ipsis vitibus, quas alio solo plantatas, plane alterius generis uvas & vina proferre, & de priori naturæ modo in melius, modo in deterius degenerare videmus, satis & abunde constat, ut superfluum foret pluribus his immorari. Deinde quoque suspicari licet, *mulieres regiones istas calidas inhabitantes, steriliores communiter esse nostris foeminis: propterea etiam, uterum forte debiliorem, & ad suscipiendos abortus faciliorem & magis dispositum habere.* Hinc quoque crederem, ea quæ Authores illi Græci & Arabes, de hac virtute & effectu abortivo in scriptis suis reliquerunt, facilius evenire potuisse in regionibus istis calidioribus, quas incoluerunt, tum natione virtutis majoris plantarum, ibi locorum nascentium, tum etiam ratione constitutionis debilioris fœminarum ibi viventium, quam in nostris septentrionalibus, ut taceam, multa sæpe a conscriptoribus istis itinerariorum relata, veritati non semper consona reperta fuisse, secundum illud Germanorum: Von weiten ist gut lügen.

Fœminæ calidiorum regionum debiliorem habent uterum.

Objectio 2.

Objiceret quoque aliquis: (2) me fateri, naturam, teste experientia, in corpore humano morbos varios aliasque causas producere posse, quæ satis sint potentes ad abortus concitandos, uti quotidie ejusmodi effectus videmus; *quidni igitur tale quid & per medicamenta procurare possibile erit? Respondeo* negando. Medicus enim tantum naturæ minister est, nec per medicamenta omnia illa efficere potest, quæ voluerit. Sic variæ causæ in pathologicis recensentur, tum proximæ tum remotæ, quæ quoque non semper a natura nostra producuntur, sed sæpe extrinsecus, v.g. ab

Responsio.

ab aëre, accerſuntur, & deinde alias varias mutationes in corpore noſtro producunt, atque ad hunc vel alium affectum diſponunt. *Natura* enim *ſemper ad conſervationem individui ſui per ſe tendit, non ad deſtructionem*, quæ etiam ſæpisſime ſcopum ſuum obtinere poteſt, dum modo abortus, ſcil. hic, medicina adjuvetur, & impedimenta removeantur. Quod autem Medico non ſemper posſibile eſt, quia jubere ſemper medicamenta vel humores non poteſt: abi in illum locum, ibique fac illud, & excernaris per iſtum vel alium locum &c. Deinde hoc poſito, *natura tamen ſuos habet limites, & ars ſuos.* Sic quæ natura efficere poteſt, non ſemper ars poteri, v. g. plantas, arbores, animalia generare, meteora producere &c. Ars e contrario domus, mœnia, turres, variaque alia, mechanicis artibus, hominumque manibus & induſtria conſtructa, quæ a natura fieri non poſſunt. In multis autem artem naturæ auxilio eſſe, defectus ſupplere, impedimenta removere poſſe, quotidie videmus.

Sufficiat hic tantum annotaſſe & dubia adduxiſſe, cur illa omnia ab authoribus tam priſcis, quam illorum ductu recentioribus, huc relata & pro abortivis vendita fuerunt, hunc effectum per ſe nec non niſi per accidens præſtare, & proinde nomen illud ſpecificum non promereri.

Neque illa, quæ in hac diſſertatione adduxi, ita intellecta velim, ac ſi credam, *cuivis, imprimis Medico hiſce draſticis & violentioribus, indiſtincte in quibusvis mulieribus, & ſubjectis bonæ vel malæ famæ, liberis a conceptu, vel imprægnatis indiſtincte uti licere: quia prudens circumſpectus & conſcientioſus Medicus ipſemet de iſtis aut plane abſtinere, aut ſibi temperare, aut juſtum ex his ſelectum inſtituere ſciet.* Sed omnia hæc limatiori & penetrantiori judicio virorum, majori & eruditione & obſervationibus me præditorum excutienda relinquo, illis anſam daturus, hanc materiam penitius rimandi, & ut hic certius aliquid definiatur & ſtatuatur, ſtudendi: ne maleloquis, ignorantibus & obtrectatoribus ſtatim occaſio cavillandi detur, *ſi Medicum viderint, mulieri* Prudens Medicus his circumſpecte uti ſcient.

 aliud

Ne Malevolis occasio cavillandi detur.

aliud vel prægnanti vel non, vel solutæ vel maritatæ, vel bonæ vel malæ famæ, non nunquam etiam consulto essentiam sabinæ, castorei, succini, myrrhæ, boracem; trochiscos de myrrha, crocum & similia ordinasse, ipsi medicamenta abortiva propinata esse calumniandi. Item, cum multa decomposita, v. g. Electuaria illa, species, pulveres, imo ipsa theriaca, & alia in dispensatoriis descripta, ingredientia, e numero superius recensitorum pellentium, vel inter abortiva relatorum contineant; ne statim Medicus se perjurii reum arbitretur, si eorum aliquid mulieri prægnanti ordinaverit. Nam & in

Balsamus Embryonum pellentia continet.

ipso *balsamo Embrionum*, quem tamen communiter gravidis, pro confortatione & præservatione contra abortus, propinant, ejusmodi multa continentur, v. g. spiritum vini alias ab Authoribus gravidis prohibitum; item aromata illa, inter pellentia relata, ut sunt: caryophilli, cinnamomum, macis, galangam, herbæ salviæ, fœnicula, mentha & ipse crocus, & similia. Sic quoque, cum *certa & indubitata graviditatis signa non dentur*, atquæ illa, quæ communiter recenseri solent, apocrypha; & aliis affectibus, sæpe v. g. suppressioni mensium, flatibus uteri & abdominis, hydropi uteri & abdominis, aliisque in plurimis analoga sint; ut etiam *exempla prostent mulierum, quæ jam antea aliquoties pepererunt, hic tamen nihilominus deceptarum*; quæ post suppressa menstrua, lac in mammis, motum in utero (ut nihil de mola dicam) & similia in gravidis observabilia senserunt, in fine tamen, excretis flatibus vel aquis, atque diminuto tumore & pondere ventris, in pristinum statum redierunt, cujusmodi exempla ipsemet vidi. Et e contrario, si aliquando in fœtu minore, debiliore & morboso, tumor abdominis minor, motusque langvidior fuerit, se non gravidas fuisse persvaserint, cum tamen re vera non fuerunt. Deinde cum Medico non facile permissum, alvum contrectare, & in majorem certitudinem inquirere, sed tantum relationibus obstetricis interdum rudioris ab eo fides habenda sit; quotnam quæso non prostant *exempla gravidarum pro hydropicis habitarum, quæ deinde prolem enixæ fuerunt?* An hic quoque Medico imputandum, si medicamenta pellentia, (imprimis cum hydrops sæpe ab obstructione menstruorum originem ducat, & non nunquam graviditati conjunctus sit) purgantia, diuretica & hæc sic dicta menses pellentia ordinaverit.

certa gravida signa non dentur.

Mulieres se gravidas putantes deceptæ.

Sic

Sic aliquis Medicus ipse *medicinam fecit fœminæ non infimæ sortis, pro virgine se gerenti, febri quartana duplici*, a suppressione catameniorum uti dicebat, aliisque erroribus in diæta, jam per aliquot menses laboranti. Profligata febre, venter cum pedibus œdematosis tumere cœpit, cum urina rubicunda, & aliquatenus suppressa, sive parciori, aliisque signis hydropem comitari solitis; & *quia hydrops ascites, non raro suppressionem mensium & quartanam insequitur*, hæsitare nolui, illam re vera hoc morbo affectam esse; proinde ipsi, ut verum fatear, & purgantia fortiora, ipso elaterio addito, aliisque fortioribus, quæ tamen, uti superius de purgantibus in gravidis notavi, ultra tres vel quatuor sedes non procurarunt, diuretica, & similia in hydrope commendata; & cum ab his pedes detumuissent, venter tamen crassior & elatior maneret, illa provocationem tantum menstruorum quotidie urgeret, ipsa ita dicta emmenagoga pellentia, ex castoreo, succino, croco, imo ipsa sabinæ essentia cum similibus ordinavi, ast sine ullo effectu. Cum autem personam hanc, quoad cetera, satis bene constitutam, bene dormientem, pedibus detumefactis, colore vivido & naturali faciei redeunte, nullasque reliquias morbi præter tumorem illius abdominis, indies crescentem & emansionem menstruorum animadverteret, in suspicionem graviditatis incidit, & accuratius in vitam ejus ante actam (quisquis enim, secundum vulgatum, præsumitur bonus, donec probetur contrarium,) illaque ex aspectu satis modesta & simplex apparebat, præterea ab alio loco, aliquot milliarium, in urbem, ubi tunc commorabatur, medicationis ergo venerat) inquirere cœpit, ubi tandem illi relatum fuit, personam istam satis modeste quidem & solitarie vixisse (parentibus enim jam ab aliquot annis orbata fuit) conversatione cujusdam juvenis, qui pro sponso ejus se gesserat, usam fuisse, in cujus matrimonium autem cognati, propter certas causas consentire noluerint. Hinc suspicionem & mentem suam fœminæ, cujus domum illa altera inhabitabat, aperuit & ut illi indicaret rogavit, se jam ab ulteriori medicatione abstinere velle. Quæ cum ei redicta essent, ira percita omnia ea vitra, omniaque ex ordinatione sua restabant medicamenta per fenestram projicit, valde contra illum invehens, atque illum inju-

Casus I.

injuriarum accusaturam minitans. Sed cum post aliquot dies, Pastoris alicujus pagani uxor, mulieris, cujus ædibus usa fuit, filia, eam invisisset, ut simul cum matre, ne veritatem facti ulterius dissimularet, hortata esset in lachrymas effusa, totum negotium confessa, & post aliquot menses filium vivum & sanum enixa est. Sed quisnam vir bonus illi hic poculi abortivi reum arguet? etiam si forte, propter præcedentem quartanam & hydropem, abortus secutus fuisset? aut errorem hunc illi imputabit, quem omnis alius & circumspectissimus Medicus committere potuisset? homo enim est, prout reliqui Medici, nec quicquam humani alienum ab illo puto, cum nec corpus ægri vel intrare, vel introspicere queat. Ex hoc autem casu observare licet, hic neque diuretica, neque purgantia, licet fortiora, neque pellentia vulgo dicta, sine dubio propter sanam & bonam constitutionem uteri, partiumque fœtum continentium, abortum nullum provocasse, aut fœtui ullum nocumentum intulisse, licet ægra jam satis antea a febre quartana & hydrope molestata & debilitata esset.

Casus II. Sic de Medico quodam celeberrimo, prudenti atque doctissimo, Practico itidem felicissimo & circumspecto, mihi relatum est, *illum fœminam quoque pro hydropica (ni fallor) vel hysterica tractasse, sine ulla suspicione graviditatis*, quam neque ipsa patiens se esse credebat (quamvis fuerit maritata, neque obstetrix, cui explorandi negotium commissum erat, eam imprægnantem invenerat) quæ deinde fœtu mortuo abortive edito, ipsa forsan ex gravitate morbi, vitam cum morte commutavit. Et licet vulgus ignarum, illi ipsi Medico ejusque medicamentis pellentibus, prout loqui amant (starck-treibende Dinge) de quibus tamen nihil certi dicere audeo, nam quæ fuerint ignoro, errorem hunc, cum causa abortus & mortis, attribueret, illum tamen innocentem fuisse, & abortum hunc, atque insecutam mortem (nonne enim hæc duo, præcipue in personis jam a morbi violentia labefactis & attritis, combinata sæpius contingere videmus?) quam medicamentis, aut incuriæ Medici, adscribenda esse puto.

Alium

Alium casum, sive historiolam non injucundam narrabo, quæ huc referri meretur. In urbe quadam non incelebri commorabantur plures Medici, ex quorum numero *Cornelius* parum ultra vulgus sapiebat; interdum plane mentis non compos, ita ut aliquoties accessus maniacos habuerit, qui alterum *Titium*, se doctiorem, a proceribus magis expetitum, praxique uberiori & curationibus feliciorem, invidia & odio (uti proh dolor! fieri solet) mirum in modum prosequebatur. Accidit, ut muliercula quædam *Cornelium* adierit, urinam filiæ suæ offerens, & auxilium contra suppressionem mensium petens. Sed inter alias quæstiones *Cornelius*, mulierem non ad omnia pertinenter satis respondentem animadvertens, ex urina se percipere simulat, filiam hanc cum viro cohabitasse, & inde gravidam esse, ullam proinde Medicinam ei daturum denegans, multis probrosis verbis & comminationibus e domo sua expellit. Post aliquot dies ea ipsa mulier *Titium* quoque adit, & remedium pro filia octodecim annorum, pro depravato stomacho (weil sie den Magen verdorben) aliquod purgans & stomachicum poscit, nullam interim eorum, quæ inter se & *Cornelium* gesta erant, mentionem faciens. *Titius* in constitutionem filiæ inquirit; item quomodo stomachum depravasset? & an menstrua rite se habeant? ad quæ mulier: filiam robustæ constitutionis esse, fructus, aliaque duræ digestionis, asellos &c. comedisse, & ante tres septimanas adhuc menstruatam fuisse, regerit. Hinc *Titius* non dubitavit, illi hanc formulam purgantem & stomachicam ordinare: Rec. Turbith. vegetab. gr. XII. Antimon. diaph. gr. VI. Resin. Jalapp. gr. III. M. f. p. f. Purgir-Pulver auf einmahl. Rec. Ess. absynth. compos. Elex. P. P. Spirit. salis armoniaci. aa. dr. II. M. f. Magen-Essentz, bis 50. Tropffen zu nehmen. Mulier schedulam ordinationis in pharmacopœjam ad præparandum affert, & in mensa relinquit. *Cornelius*, cui in more erat, singulis matutinis temporibus, pharmacopœjas visitare, prætereuntibus rusticis inhiare, simulque haustum aquæ vitæ delibare, schedulas receptorum, ab aliis Medicis Casus III.

dicis præſcriptas, ibidem præſentes perluſtrare (ut ſciret, quos quisque ægrotos tractandos habeat, & quænam illis ordinaverint) pharmacopœjam iſtam quoque intrat, moxque ſchedulam ſupra dictam reperit, & nomen mulierculæ prædictæ ſubſcriptum, ſtatim conjicit, ipſi hanc a *Titio* ordinatam eſſe. Data itaque opera usque ad reditum mulieris tergiverſatur, illamque advenientem ſtatim convitiis adoritur, & cur ab alio Medico remedia quæſiverit, cum ille ipſi ea denegaverit, expoſtulat. Quibus mulier perterrita fugam capit, formulam præſcriptionis & medicamenta relinquens pharmacopœo. Interim *Cornelius*, ſe ibi ſolum videns, arrepta penna & atramento, formulam purgantis adulterat, & granis III. Reſinæ jalapp. gr. V. præponens, ex. gr. III. gr. VIII. efformat, atque deinde *Titium* per totam urbem calumniatur, diffamat & traducit, quod ille abortiva medicamenta, ex fortisſimo purgante (quaſi vero) ſecundum hanc adulteratam formulam, & pellentibus Elexirio nempe P. P., conſtante ex myrrha, aloe & croco, quæ omnia inter pellentia referri conſveverunt, mulieri famoſæ præſcripſerit. Donec *Titius* hæc reſciens, atque hanc ſuam formulam caſtratam conſpiciens, *Cornelium* in jus vocare coactus fuerit. Ubi Magiſtratus, cui ſatis conſtabat, hæc cuncta a *Cornelio* ex mera invidia, qui alias non ſemper compos mentis naturaque maledicus & malevolus erat, commiſſa & perpetrata fuiſſe, totam rem præmiſſa civili recantatione & reparatione læſæ famæ, compoſuit. Hæc ſtudio afferre libuit, ut quilibet videat, quantæ confuſiones & disſidiæ ex hac de pellentibus & abortivis male perſpecta doctrina ſæpe oriantur.

Caſus IV. Sic in eadem illa urbe, durantibus his prioribus rixis, non abſimilis caſus contigit, quem priori annectere placet. Erat ibidem mulier, matrimonio quidem juncta, de qua tamen fama, non ſoli marito, cum quo etiam in disſidiis vivebat, contentam fuiſſe ſpargebatur. Quæ poſt unum a puerperio menſem plethorica, in febriculam incidit, & *Titium* in conſilium

vocavit,

vocavit. Ille eam ſanguine abundare videns, venæ ſectionem in pede ſvaſit, quoniam autem illam ægrota reformidabat, in brachio cum euphoria adminiſtrata eſt. Febri deinde levioribus ſedata, ſuppresſio tamen menſtruorum continuavit, ſanguine interim e naribus & aliunde exitum quærente, quæ deinde etiam poſt levem purgationem, & mixturam ex ſuccino, trochiſcis de myrrha, aliisque ſimilibus, copioſe ſatis provenerunt, & mulier ſanata fuit. Poſt aliquot menſes, ab eſu fructuum & refrigeratione, iterum de imminutis primo, deinde integrum ſuppresſis menſtruis conqueſta eſt. Ordinavit *Titius* pilulas leniores, per epicraſin, ad duas vel tres ſedes purgantes per aliquot dies continuandas, deinde alia, amara, & ſimilia, & tandem cum menſes, licet parcius, apparerent; eſſentia ſuccini, caſtorei, &, ni fallor, ſabinæ, cum liquore cornu cervi ſuccinato, quibus deinde rite prodierunt. Accidit autem, ut cum poſt menſem, inſtante forte tempore menſtruorum, hæc mulier per iram excandeſceret, exinde cum febricula, copioſus & nimius menſium fluxus concitatus fuiſſet, cum excretione ſanguinis grumoſi, ita ut ad refrænandum hanc copioſam excretionem *Titium* in conſilium revocarit, qui tantum ſolis abſorbentibus, quantum memini, negotium compeſcuit. Sed *Cornelius* exinde iterum *Titium* diffamavit, ac ſi huic ægræ etiam abortiva propinaſſet, ex quibus ſanguis grumoſus & forte abortus concitatus fuiſſet.

Scio etiam alium Medicum, non indoctum & ſatis circumſpectum, fœminæ cuidam, in inſigni cephalalgia cum febricula, venæ ſectionem ſi fieri poſſet in pede, ſi autem non, in brachio ordinaſſe, cui chirurgus, cum in pede venam male tudiſſet, (hat die Ader nicht getroffen) deinde in brachio ſecare coactus fuerat, cum inſigni euphonia, & licet perſona gravida eſſet, ſine ulla fœtus noxa. Ille tamen barbæ tonſor, ſcurra, Medico illi infenſus, ubique divulgavit, hancce venæ ſectionem, imprimis in talo, ex intentione forſan abortum Casus V.

provocandi

provocandi (cum ille necessario exinde sequi deberet) ab eo ordinatum fuisse.

Casus VI. Sic hoc tempore, dum hæc scripsi, a fœmina maritata adhuc gravida mihi relatum est: sibi tertio a sua ingravidatione mense, a proprio marito, illam (quia jam a decennio ab ultimo suo puerperio, sterilis mansisset, mensibus interea ordinario, licet aliquando parcius, profluentibus) cum nauseam & dejectionem appetitus sentiret, nullatenus gravidam, sed suppressione menstruorum laborare credentem, infusum emeticum vini in poculo ex Regulo antimonii, quod ipsamet habebat, bis in una septimana & postea pilulas purgantes oblata fuisse, & deinde ad provocanda illa, uti opinabatur, menstrua, alia quoque menses pellentia data fuisse: imo suasu ejus cucurbitulas scarificatas, in cruribus sibi applicari curasse. Donec tandem, tumore abdominis indies elevante, accedentibus insimul aliis signis, gravidam se senserit: quæ jam brevi tempore terminum partus exspectat, nullo interim subsecuto a prioribus medicamentis abortu.

Ex hisce casibus unicuique facile videre licet, quando quidem talia toto die in praxi Medica occurrunt, *quanti Reipublicæ Medicæ intersit, ut hæc materia de abortivis accuratiori trutinetur lance, & aliquid certius, quam hucusq; usu receptum est, de illis statuatur*, ne vulgo, imo ipsis, pro Medicis se gerentibus, quamvis aut minus perspicacibus aut invidiosis, ansa præbeatur, alios in opprobrium artis cavillandi & calumniandi.

Objectio. *Sed objiceret hic denuo aliquis :* me, dum adductis his medicamentis, titulum pellentium & abortivorum denego, per hæc, quæ protuli, *quibusvis cum Medicis, tum etiam empyricis, vetulis atq; scelestis mulieribus, occasionem & licentiam daturum, talia impune adhibendi*, & cum se prohibitis amplexibus gravidas senserint, his & similibus, varie abortus moliendi & tentandi, quando quidem multa exempla prostent, ab ejusmodi, licet non indifferenter, non nunquam tamen abortus concitatos fuisse,

Ad

Ad quæ respondeo: An quidem non ſimpliciter & abſolute negem, ab his aliquando licet rarius & tantum per accidens abortus ſecutos eſſe. Ex his autem quæ ſuperius dixi, nulla tenus induci poſſe, cuivis his indiſtincte, & illatis ut ajunt manibus, uti licere. *Prudentes enim, conſcientioſi, & circumſpecti Medici*, draſtica iſta & violenta purgantia, vel plane non, vel rarius in robuſtioribus ſubjectis, aut in refracta doſi, ſtimuli tantum loco, nec me monente adhibebunt. Quod autem coetera iſta, ſic dicta pellentia attinet, ipſi quoque ſcient, quando illis plane abſtinere, nempe in perſonis debilioribus, & quando jam alias cauſas quæ abortum minitari poſſent, animadverterint. Et e contra quo tempore, & quibus perſonis tuto offerenda ſint. *Empyricis autem, agyrtis, vetulis, aliisque malæ notæ & famæ mulierculis*, hæc ſcripta noluerim.

Quoniam enim iſtæ perſonæ in re illicita verſantur, quis non videt, illas eo ipſo in poenam incurrere. Et nolo hic falcem in meſſem ICtorum immittere, qui ipſi, ut in omni facto vel delicto, ita & hic animum, item dolum & culpam latam vel leviorem conſiderare & diſtinguere, atque pro circumſtantiis, promeritas punitiones, determinare non neſcient, licet abortus ex uſu talium ſecutus non fuerit. Qui tamen caſus rarius in apricum, & ad judicium deferuntur, ſed fortisſime in occulto manent. Meretriculæ autem & aliæ hujus farinæ mulierculæ, eo facilius hic abſtinebunt, quando ſcient, aut hæc ipſis plane non profutura, aut illas ipſas, abuſu talium, in manifeſtum vitæ periculum, una cum foetu conjectum iri. Id quod etiam jam olim *Ovid.* cecinit *lib.* 2. *amor, eleg.* 14.

Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris,
Perdere nec foetus auſa leæna ſuas.
At teneræ faciunt, ſed non impune puellæ.
Sæpe, ſuas utero quæ necat, ipſa perit.

Quovis autem modo egeris, nunquam mundum a vitiis, item ſceleſtis & nefariis hominibus purgabis, ſecundum illud: *vitia erunt donec homines.* Coronidis loco quasdam quæſtiones curioſas huc ſpectantes ſubnectere placuit. Sit itaque

CAPUT IV.

Dilucidatio quæſtionum quarundam curioſarum, ad hanc Materiam ſpectantium.

Quæſt. I. *An ex inſpectione corporis cognoſci posſit, perſonarum aliquam ingravidatam fuiſſe & abortiviſſe?*

Sæpe numero Medici in conſilium vocantur, ut judicium *de perſonis ſuſpectis, quibus per aliquot tempus menſtrua defuere, & venter tumidus viſus eſt, deinde autem iterum menſes redierint*, atque *tumor ventris diſparuerit*, proferant. Hinc non e re fore puto, quædam de hoc problemate paucis tamen diſſerere: Certum quidem eſt, uti jam ſuperius innui, ſigna graviditatis, aliis accidentibus analoga & ſæpe fallacia eſſe: de quibus Authores Medici varie ſcripſerunt. Signa autem quæ hic notari ſolent, ſunt communiter (1) ſuppresſio menſtruorum; (2) tumor abdominis, ſive crasſities corporis; (3) lac in mammis; poſt dimidium geſtationis tempus, (4) motus Embryonis in utero. Deinde poſt ſecundum abortum; (5) Rugæ ventris; (6) Muliebria

Signa communia graviditatis.

bria nudida & hiantia. Hæc autem licet probabilia sint, non tamen absolute vera & conclusiva esse, quis non videt? imprimis si non omnia simul juncta reperiantur. Nam (1) *suppressio mensium* a variis aliis causis quoque a graviditate, provenire solet; *nec statim a deficientibus menstruis impraegnatio est prædicanda:* quia in multis honestis & illibatis personis accidere solet: a qua etiam suppressione, multi excrementitii humores, flatus, hydrops, sive uteri, sive abdominis ascites vel tympanites: & proinde (2) *tumor*, sive *crassities corporis* supervenire potest. *Lac autem* (4) *in mammis*, etiam a suppressione menstruorum, jam olim *Hippocrat. Aph.* 39. *Sect.* 5. annotavit. A tumore autem ventris subsidente, deinde etiam *rugæ in abdomine* apparere solent. *Laxitas quoque & dilatatio pudendorum* non semper signum ingravidationis prægressæ, vel abortus esse potest. Nam & hæc ab aliis causis, quamvis mulieres virum non cognoverint, oriri solet, (& si non adeo notabilis fuerit, fucum & excusationem præbet) & e contrario alias huic laxitati, per artem variis adstringentibus succurri posse, satis notum est. Sic fœminis crassis & obesioribus, item quæ sæpe pondera graviora portari consveverunt, aut labores manuales duriores, uti v. gr. rusticæ sunt &c. excercuerunt; similiter ab applicatione digitorum pessariorum &c. fluore etiam albo diuturniori laborantibus; genitalia dilatari solent. Sic novi maritum aliquem separationem & dissolutionem conjugii, a noviter nupta uxore, propter hanc laxitatem quæsivisse; dicentem, quod illam non amplius illibatam virginem invenerit: Sed quia parentes filiam suppressione mensium laborasse, & contra hunc morbum, pessariis uterinis usam fuisse docuerunt, maritum uxorem hanc suam retinere oportuit. Proinde si consilium istud Medicum *post longius tempus, a præsumpto illo abortu, imprimis si fœtus abortive editus, adhuc tenerior & paucorum tantum mensium fuerit, & tunc demum visitatio expetatur*, res certe ardua & difficilis erit, ad aliquid certi aut positivi determinandum, nec aliquid aliud, nisi forte defloratio, idque tantum probabiliter conjecturari poterit. Quis enim abortum v. gr. duo-

Signa præteriti partus.

Casus.

duorum aut trium mensium, qui ante aliquot menses, vel dimidium annum contigit, cognoscere facile poterit?

Si autem post brevius elapsum tempus, ab illo subsecuto abortu, inspectio hæc administretur, supra dicta signa, imprimis conjuncta si apparuerint, magis probabilia & certiora signa subministrabunt; eo magis si persona quæstionis, malæ famæ, petulans & lasciva fuerit, & occasionem cum viris & quidem clanculum sæpe conversandi habuerit: si ulla probabilia signa suppressionis menstruorum morbosæ inveniri potuerint. Constitutio nempe cachectica, cum pallore faciei, quod symptomata suppressionis mensium supervenientia communiter, quo diutius illa suppressio duraverit, indies augmentari, in graviditate imminui soleant. Et si tempore illius præsumpti abortus graviter laboraverint. *Nam menstrua suppressa non tantis symptomatibus in solutione & proventu illorum concomitantur, quam abortus;* qui gravius semper afficit, & majori periculo jungitur, quam plures partus naturales; quoniam semper violenter & contra naturam accidit. Deinde etiam *si flatus & hydrops adfuerint, illorum signa etiam simul adesse solent:* nisi illa simul graviditati, quod etiam sæpe, ut supra dictum, evenit, jungantur, quod difficilius agnitu, imo aliquando fere non possibile, uti ex enarrato casu apparet. *Distinctiones autem, quæ hic alias afferuntur gravidarum,* ab illis quibus menstrua suppressa sunt; nempe quod illæ plerumque nativum corporis colorem retineant, hæc contra, uti & superius notatum pallidæ sint, & foedo faciei colore præditæ: item quod gravidæ hilares existunt, & parum in animi Pathematis mutentur; in suppressione autem mensium tristes &c. *parum firmo nititur talo, nec semper ita se habent.* Quoniam & imprægnatæ sæpe colorem suum nativum perdunt, (unde & Germanis ex hoc mutato colore judicantibus, statim dicere consultum: Sie hat auf den Angel gebissen,) vel a graviditate ipsa vel quod non nunquam alius aliquis morbus, uti communiter fieri solet, nam quæ

Distinctiones gravidarum, ab illis qui menstruorum suppressione laborant.

alias

alias ſanæ, in graviditate tamen, imprimis de nauſea, horrore, appetitu dejecto &c. conqueri inſveverunt, graviditati accedat: ut taceam, vulgo (quod tamen non ſemper ſuccedit) pallidum illum colorem pro ſigno fœtus fœminei generis accipere ſolere: *Triſtia* autem iſta utrisque communis eſſe poſſit, imprimis illis, quæ præter ſpem & voluntatem imprægnatæ fuerint.

Quæſtio II. *An Medicus honeſtus, ſalva conſcientia, fœminæ ſuſpectæ vel prægnanti, medicamenta pellentia ordinare posſit?*

Objicere ultro aliquis posſit, quia iſtis toties recenſitis medicaminibus vim per ſe pellentem, & adhuc minus abortivam attribuere noluerim, *hinc illa ſine ullo periculo aut incommodo, non modo perſonis ſuſpectis, ſed etiam prægnantibus exhiberi poſſe.* Sed jam ex ſuperius dictis reſponſio facile colligi poterit. Prudens enim & conſcientioſus Medicus, nunquam aliquid propinabit, quod abortum vel per ſe vel per accidens concitare valuerit: nullum igitur video, cui ſcopo exhibito ejusmodi inſervire posſit? Præſertim cum nullus ſecurus eſſe queat, an perſona, quæ talia expetit, illa ſine periculo perferre valeat, proinde ſemper tutius erit, ab illis ſine necesſitate abſtinere, ut ut perſvaſum ſibi aliquis habeat, nullum abortum exinde eventurum eſſe. Intererim *cum ſæpius perſonæ ſuſpectæ, vel etiam in conjugio viventes, ob metum multæ prolis, ſimilia Medicos flagitent,* atque graviditatem occultent, credo male facere Medicos, ſi ipſis omnem opem denegent [*quisque enim præſumitur bonus, donec probetur contrarium*] ac verbis convitioſis eas expellant, quæ deinde ad vetulas & empyricos confugient & ab illis opem quærent, qui ipſas poſt hæc non nunquam per hæc violenta & draſtica cum fœtu in evidens vitæ periculum conjice-

Quid agendum, ſi ſuſpectæ medicamenta ad menſes pellendos petunt.

re possunt. *Habet & Medicina sua stratagemata, permissaque sunt illi, quæ piæ fraudes.* Hinc cum aliquando ejusmodi mulieres me convenissent, dissimulavi me illorum dolum & astum percipere, atque fingebam ipsis ad menstrua aliquid daturum, quod autem non nisi post longius temporis intervallum effectum demonstrabit. Interea, quæ pro confortando fœtu, & abortu præcavendo revisa fuerunt, ordinavi, ac deinde minus de efficacia, si forsan aliunde aliquid nactæ fuerint, metuendum erit. *Si autem perfrictæ frontis personæ graviditatem ultro fateantur, atque poculum abortivum petant*, expeditissimum erit, eas statim magistratui denunciare, ut eo melius custodiantur, atque ad debitas pœnas trahantur. In casu dubio autem ordinarie primo soleo pilulas leniter per epicrasin purgantes, per aliquot dies, vel alternis diebus sumendas, ita ut operatio duas aut ad summum tres sedes non excedat. Hic quoque *leniora vomitoria* tutissima expertus sum; imprimis in ancillis aliisque personis ingluviei deditis; natura ipsa in gravidis, præcipue primis mensibus, sæpe horrendos vomitus, sine noxa tamen ulla fœtus, concitante: deinde *antimonialia ad aliquod tempus, aut Salia alcalia enixa, post amara, aliaque incidentia, vel balsamica continuata: quorum usu communiter, si obstructio morbosa adfuerit,* intra breve tempus menstrua sine aliis pellentibus redire solent; quæ tunc stimuli loco essentia succini, castorei, liquore cornu cervi succinato, aliisque similibus, imo sola diæta calida, facile promoventur. Si autem ab his intra duos vel tres menses menstrua in conspectum non venerint, evidentiora autem signa graviditatis forsan apparuerint, tum ab ulteriori curatione abstinere soleo. Quæ methodus me nunquam fefellit, & in innumeris personis feliciter successit.

Quæstio

Quæſtio III. *An Medico mulieri gravidæ in certis caſibus & in morbo acuto periculoſo conſtitutæ, interdum licitum pro ſalvanda matre, abortum procurare?*

Hanc quæſtionem, inter alios ventilat *Zacharias in ſuis quæſtionibus Medico-legalibus;* item *Roderici a Caſtro de morb. mulierum l. 3. cap. 21.* occaſione, *aphor. Hipocr. ſupr. citat. Mulierem utero gerentem morbo acuto capi lethale. Quia duplex ut notat Gallenus, in commentario, hic imminet periculum, uterum a febre, foetum interimente: item mulieri, longioribus hic intervallis cibum exhibendo. Defectu enim ipſum deſtruimus foetum; ſi vero uberiorem cibum exhibeas, febrem augens, mulierem enecas. Cum igitur alterum eorum ſit ſervandum, matri in tempore proſpiciendum eſſe putant, ne uterque pereat: at cum id fieri nequeat, ſine foetus detrimento, ſatius eſſe ut is ſtatim procjiciatur. Et lib. 3. capit. 1. dicit Theodorus Priſcianus, expedire interdum prægnantibus in vitæ diſcrimine conſtitutis, ſub unius partus jactura, ſalutem mercari certisſimam; quando aut matricis vitio aut ætatis impotentia, ſub qua præpropre frequenter partus evenit, fœminæ periclitantur. Nempe ut in antecedentibus, inter alia, ſi mater ne in negotio partus moriatur.* vid. Mich. Angello Andricolo libr. V. cap. 3. p. m. 335. Sed, quamvis Authores hi negativam tueantur, hanc quæſtionem tamen futilem, ineptam & ſupervacaneam eſſe credo: Quis enim, qui mente ſana conſtat, mulierem gravidam febre acuta laborantem, abortum concitando à periculo liberabit? Et quis effectum abortus certo ſecuturum promittet? Quis non videt matri, iſta violenta & draſtica medicamenta majus periculum allatura, & quæ forte adhuc ſalvari potuiſſet, nonne uſu horum incertius & indubitatum fere vitæ periculum conjicietur? Nonne experimur (ut ſuperius,

H 2 mihi

mihi ipsi accidisse notavi,) *nonnunquam prægnantes morbo acuto correptas, simul cum foetu feliciter conservatas fuisse?* Et nonne, *si foetus servari non potest, ipsa natura illum*, ut plurimum restituta aliquatenus matre, *deinde per abortum expellit?* Nonne quoque videmus foeminis gravidis, non in fausto successu, etiam in acutis coeteris paribus, venam secari; utrisque & matre & foetu postmodum salvis.

Quid in tali casu Medico faciendum?

Proinde certe Medicus optime faciet, *si morbum convenientibus debellando, simul & foetui blandis analepticis & confortantibus prospiciat, nihil tale abortivi moliatur, & coetera ipsi naturæ committat*, quæ jam foetum aut conservare, aut certo tempore eliminare studebit.

Cœterum quoniam *nulla certa indicia dantur, ex quibus prægnanti mortem in ipso partu aliquis prædicere aut ominari possit*; futile & impium erit propterea abortum tentare, ne mater postea ex laboribus partus moriatur. Qua propter si forte aliqua superstitiosa tale quid metuerit, rationibus, aliisque persuasionibus contrariis erit erigenda, & convenientibus deinde remediis in partu adjuvanda.

Hæc sunt quæ de hac obscura & spinosa materia differenda in mentem venerunt: ut non omnia, quæ huc spectant, dixisse, totum hoc pelagus exhausisse, atque omnibus dubiis quæ adhuc moveri possent satisfecisse credam. Interim coetera, quæ desiderari queant, aliis eruditioribus me, accuratius pertractanda & examinanda lubenter relinquens.

Nemo enim reprehensus, quod e segete, ad spicilegium reliquerit Stipulas.

F I N I S.

Index

INDEX GENERALIS CAPITVM.



SPHALMATA,

Quæ per errorem Typographi nimis multa præter opinionem irrepta ſunt,

IN græc. literis lin. 3. εςαυ]ίκα pro εςα]ίκα. In explic. lat. aliqua, cum pro aliquorum. Dedic. pag. 7. lin. 5. virtutes pro virrutes. p.7. l.16. adde,& poſt accipiat. p.7.l.18. ter optimum pro ter optime.p.8.ultzenæ pro ultzæ.Præf.p.3.l.17.non ita pro monita.p.4.l.3.lege,nec rationi pro narrationi. l.19. e contra pro contra. p.5.l.1.ceu pro eo. l.18.manus pro mantus. p.6.l.7.adde, vero ante non. l.14.ſabinam pro ſabinum. Introduct. p.1.l.1. lege præ loco pro. l.4.mortalit pro mortaliſ. Cap.1.p.2.l.1.adde tum p.3.l.11.carnea pro cornea. p.3.l.2.molæ pro mole. l.12.hæc pro hæ. l.31. compilatore pro opilatore. l.32.lege abrotani & audianthi l.33.colaminthæ pro calaminthæ. l.34. jacceæ pro jaceæ. l.35.malabathri pro malabothri. l.35.matricariæ pro matricoriæ. l.36. utriusque pro utrique.lin.ult.pimpinellæ pro pimpinelli. p.4.l.1.ſaponariæ pro ſoponariæ. l.3.eupatorii pro eupatonii.l.4.ſchænanti pro ſchenonti.l.5.acori pro acord. l.5. lege aſari carlinæ cœparum. l.6.fraxinellæ pro trofinellæ. l.7.meu, ononidis pro Meuonidis. l.8.raphani pro rapani. l.16.ſagapeni pro ſugapeni.l.19 cantharides pro canthorides.l. 24.calendulæ pro lavendulæ. l.28.tartarus vitriolatus pro vitriolata.p.5.lin.ult.junctis pro punctis. p.6.l.2.per errorem Typographi omiſſum eſt ; Exigit exhibendi quam tot foraginis , quorum ſelectus diſcendi cupidos magis perturbat quam erigit. p.6.l.12.adjumento pro adjuncto.l.27.adde:30,vel plurimum guttarum eſſentiæ ſabinæ vel caſtorei vel alterius. p.6.l.33.lege origo mali. p.7.l.12.quæ pro qui. l.22.marubii pro manubii. l 32.nigellæ pro nigollæ. p.8.l.14.externæ pro externe. l.24.encheiriſi pro encheiniſi. l.34.lege fallaciæ cauſæ, non cauſæ.p.9.l.1.taceam pro tamen. l.7.autem pro aurem. l 20.lini pro pini. l.23.rubini pro nubini.p.10.l.18.adde deinde. l.22.aſt adde ante objici.p.13.l.1.lege ſolam pro ſolum. p.15.l.26.habitam pro habitum. p.17.l.1.ipſarum pro ipſorum. p 18.l.4.euſarca pro euſorca. l.16.lege ſanæ pro ſanæ l.27.comedantur pr. commedantur.p.19l.5.ſi pr.ſic. l.28.odore pr.ardore.p.20 l.14 leg.excrementios.p.21.l.23.terrorem ſubitaneum.l.29.ex terrore pro externo.l.30.caſus 80 pro 88. p.22.l.11.earum pro eorum. l.24.ſontici pro ſentici. p.23.l.22.lege idiopathiæ. p.24.l.12.lege periclitarentur. p.27.l.1.liber 28 pro 27. p.28.l.2.veneno pro venum. l.13.Zittmanni pro Littmanni.p.29.l.6.obſ. 98 pro 49. l.12.ſativæ pro ſatiræ. p.30.l.21.deſtillata pro depillata. l.24.analepticorum pro analepticarum.l.26.vitris pro nitris.p.31.l.21.obſtructio pro abſtructio.p.32.l.9 lege carnibus pro cornibus.l.11 ſuos pro ſuas.l.34.ungularum pro ungulorum. l.35.ungularum pro nugularum. p.33.l. 30.Lemrus pro Lemeri. p.34.l.27.alumen ſcisſil. pro ſolis ſcisſil.l.27.dr.un.ſem. pro dr.1.p.35.l.16. poſt poterit adde qui conſiderat. l.30.adde parum apud cavitatem. p.37.l.26. ſummo pro ſomno. l. 29. valebam pro volebam. p.38.lin. penult.3 pro 30. p.40.l.13. Stalpaſt pro Stolpaſt.p.42. l.16. unæ pr.uni. l.24.ſabina pr.ſabinæ.p.43.l.5.abortionis pro abortivis.l.21.ecbolium pro cebolium. p.45. l. 2. poterit pro poteri.p.46.l.28.deleatur non. p.51.l.12 martialia pro alia amara. p.52. l. 2. ordinatam pro ordinatum. p. 56. l. 12. adde e contra.